VIM ATQUE POTESTATEM

QUAM

PHILOSOPHIA ANTIQUA

IMPRIMIS

PLATONICA ET STOICA

IN DOCTRINA APOLOGETARUM SECULI II. HABUERIT

EXPOSUIT

RUDOLPHUS EHLERS

HAMBURGENSIS.

Ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ζύμῃ.
Mt. 13, 33.

Commentatio in concertatione civium Academiae Georgiae Augustae die IV. Junii a. MDCCCLVIII ab summe venerabili Theologorum ordine praemio regio ornata.

GOTTINGAE 1859.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

OPTIMO PATRI

HUNC LIBELLUM

PIO ET GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

De hac commentatione amplissimus ordo Theologorum ita judicavit:

Die Abhandlung hat zwar einiges Wichtige unerörtert gelassen. Es wird die Geschichte der einschlagenden Untersuchungen und die Angabe des gegenwärtigen Standes der Frage in der Einleitung nicht besprochen; der Verf. berücksichtigt blos die stoische und platonische Philosophie, auf die es allerdings am meisten ankam, und behandelt bei den Apologeten selbst nicht alle Punkte deren Erörterung wünschenswerth war; so kommt namentlich die Christologie und die Ethik zu wenig in Betracht. Aber andrerseits hat der Verfasser nicht blos mit grossem Fleiss das Wichtigste aus der neueren Litteratur berücksichtigt und den Apologeten ein eindringendes Studium gewidmet, sondern er hat auch in der Art der Gewinnung seiner meist das Richtige treffenden Resultate wissenschaftliche Methode und Feinheit des Urtheils bewiesen. Auch die Anlage des Ganzen ist geschickt und übersichtlich; nur das Latein ist nicht ganz rein. Die Fakultät hat die Abhandlung zu krönen beschlossen, fordert jedoch, dass ihr Verfasser vor dem Druck die Arbeit nach den oben genannten Forderungen vervollständigt ihr vorlege.

INDEX.

Prooemium . . . . pag. 1

Apologetas seculi II. graecae eruditionis et philosophiae ignaros non fuisse, prae ceteris platonicae et stoicae philosophiae incubuisse, probatur . „ 3

Apologetarum de antiqua philosophia iudicia . . . . „ 5

De Platonismo patrum ecclesiae quid sit statuendum exponitur . . . . . „ 9

Historia controversiae de Platonismo ortae paucis narratur . . . . „ 9

Apologetarum doctrinae de Deo eiusque attributis . . . . „ 19

Vis quam ad hanc doctrinam excolendam habueriut disciplinae et Platonis et Philonis . . . . „ 21

Apologetarum de logo doctrinae exponuntur . . . . „ 23

Vis quam antiqua philosophia, imprimis Philonis disciplina ad Justini doctrinam habuerit, exponitur . . . . „ 24

Eiusdem philosophiae vis ad Tatiani doctrinam . . . . „ 27

Ad Theophili doctrinam . . . . „ 27

Ad Athenagorae doctrinam . . . . „ 28

Apologetarum de angelis placita exponuntur . . . . „ 29

Quid de mundi creatione statuerint apologetae, diiudicatur . . . . . . „ 32

Quid inter philosophorum et apologetarum doctrinas intersit, exponitur . . „ 34

Apologetarum de inspiratione doctrinae . . . . „ 38

Stoicae philosophiae vis ad Martyris de logo toti mundo insito doctrinas „ 40

Discrepantiae inter Justini et Stoicorum de logo placita illustrantur . . . „ 46

Apologetarum de anthropologia doctrinae illustrantur . . . . pag. 48
Justini de hac doctrina et de summo ethico principio placita illustrantur . „ 50
Tatiani doctrinae ex Stoicorum philosophia pendentes, exponuntur . . . „ 54
Theophili doctrinas cum Stoicorum placitis arcta propinquitate coniunctas esse, exponitur . . . . „ 60
Athenagorae de humana natura placita . . . . „ 64
Epilogus . . . . „ 71

Res christiana illo tempore quo paullatim crescere longiusque progredi coepit, a viris simplicissimis absque eruditione aetatis suae minus affectis vel prorsus alienis, a piscatoribus dico et portitoribus terrarum orbi deferebatur, ut omnes statim ab initio cognoscerent, eos indolem christianismi non satis perspicere, qui eam nil nisi doctrinam esse putent, quae ad certam quamdam vitae degendae rationem spectet, sed, quum vita potius virtusque Dei evangelium sit, id ei esse propositum, ut generis humani et cognitionem et voluntatem prorsus immutet. Initio sane ecclesia christiana id potissimum sequebatur, quod ad institutionem vitae communis, christianae menti convenientis, spectaret. Neque tam eruditi viri veram christianam doctrinam tum amplectebantur, quam homines tenui in re constituti, quos quidem prae ceteris ad eam percipiendam paratos esse necesse erat, quum in philosophando deos, quos temere reiecerant, allegoricis interpretationibus restituere non possent. Eos contra qui literis et doctrinis eruditi erant quique eadem, quae a polytheismo ethnico ad monotheismum christianum progrediens ageret populus, a se ipsis iam acta esse putabant, quum a polytheismo ad philosophicam cognitionem progressi essent, multis modis a re christiana repelli necesse erat. Nam humanae qua gaudebant felicitati christianismus, etsi per se relative tantum obstat rebus terrenis excultis et ad humanitatem informatis, tamen qualis illa aetate erat, absolute repugnabat. Cuius quidem asperrima virtus, a supranaturalismo, qui tum non satis circumspecte a christianis premebatur, postulata, acerrime pugnabat cum amplorum ordinum mere mundana educatione, cuius philosophicae et aestheticae eruditioni religio christiana nonnisi plebis vanitas apparebat. Nam christiani quum polytheismum per omnes vitae partes diffusum viderent, rempublicam nulla ex parte attigerunt et a delectationibus artibusque colendis sese removebant. Qui quum rei publicae negotia a se aliena putarent, nil magis iis vitio dabatur, quam quod mali cives essent. Earum rerum contra, de quibus latissima praedicatione circumferebantur, quaeque laude digna apud eos inveniebantur, sublimioris imprimis Dei cognitionis possessionem philosophi in disciplinis, quas quisque profitebatur, iam dudum tenere putabant. Prae-

terea christiana de Christo crucifixo praedicatione philosophi omnesque illius aetatis viri eruditi maxime offendebantur. Quum vero in occulta et latebras se abderent christiani, Oedipodeo eos uti concubitu coenisque in modum Thyestae pasci pro certo affirmabatur. Ad quae quum accederet, quod communium rerum gravissimi casus illa aetate creberrimi essent, facile fieri potuit, ut superstitiosa multitudo has poenas Christianorum caussa, quippe qui nec sacrificarent, nec deos a civitatibus receptos colerent, a diis immissas opinaretur. Itaque furorem multitudinis odiosum diuque occultum tandem erumpere oportebat. Cui furori nova alimenta subiiciebantur ab iis, qui christianos rei publicae infestissimos et perniciosos esse contendebant. Nam quum tota veterum civitatum ratio publicis sacris niteretur, ipsa vero sacra a populis sancita a christianis pro diabolicis haberentur, religionem christianam rei publicae perniciosam esse putabatur. Quum porro imperatores ethnico more colendos esse negarent, Christum contra brevi tempore interiecto ad novum regnum erigendum ex coelo rediturum esse profiterentur, haec omnia ex caussis politicis reique publicae infestis deducebantur. Qui quidem populi furor eiusmodi criminationibus magis magisque exacerbatus denique in cruentissimas Christianorum persecutiones erupit. —

Itaque res christiana ulterius usque progressa quum omnes vitae rationes et singulos quosque homines, in ipso cum iis commercio pro natura sua agitaret et turbaret, et haud ita multo post tantum eius momentum esset, ut rerum publicarum summam in semet converteret multumque negotii ei facesseret; quum porro licet sensim et pedetentim aditum sibi patefaceret evangelium ad populi summos eruditosque ordines, mox ut a literis impugnaretur, satis auctoritatis ei inesse videbatur. Quales impugnationes Frontonis, Luciani, Celsi, aliorum erant. Quibus contrariae christianae literae initium prospere cadens fecerunt. Impugnationes enim defensiones provocabant, quae ipsae fieri non poterant nisi refutatis adversariorum discrepantibus sententiis, nisi gentilium miseriis patefactis et enuntiatis. Scripta patrum apostolicorum iam prius quidem literarum ecclesiasticarum initium fecerant; quod initium tamen quia externa tantum biblicorum scriptorum imitatio fuerat, successum habuerat nullum. Quantopere vero christianam rem vigere opus erat, si viri, tota suae aetatis eruditione et doctrina instructi, veritatem recens cognitam iisdem armis defendere susceperunt, quibus usque adeo ad evangelium impugnandum usi erant gentiles. Qui scriptores quanti fuerint momenti magis patebit, si id consideraveris, apologetas ad ea, quae sibi proposuerant facilius impetranda coactos fuisse, ut in ethnicorum doctrinis atque eruditione unde ipsi christianae fidei defensionem derivarent, quaererent. Itaque etiamsi in apologetarum saeculi secundi

scriptis non inveniantur disciplinae accuratius omnibusque ex partibus excultae, quin contra plerumque ipsorum doctrinae nonnisi occasione oblata proferantur, quum lubentissime quidem ad fructus delegare solerent, quos fides christiana in tota confessorum vita instituenda tulisset, necessario tamen operam dabant doctrinae christianae illustrandae, cuius copiam ex fide christiana sumtam, multifariis ethnicis sententiis opponerent. Quae quidem ipsa fieri non poterant, nisi fidem christianam ad artem revocare studerent, ut ethnicis sententiis formulam quamdam, eamque ab eruditione non prorsus alienam, neque eleganti ethnicorum loquendi rationi plane dissimilem opponerent.

Apologetas vero graecae eruditionis et philosophiae plane ignaros non fuisse, iam e graecis poëtis et scriptoribus haud raro ab iis laudatis patet, ex sententiis veterum philosophorum saepe allatis et ex refutatis eorum disciplinis, inter se discrepantibus. Neque primoribus tantum labris literas et philosophiam illos viros gustasse, neminem, qui scripta eorum inspexerit, latebit. Praeterea quae narrata accepimus ab aliis ecclesiae doctoribus de vita eorum et eruditione, quaeque oblata occasione ab ipsis iis confirmantur et narrantur, omnibus Graecorum artibus eos eruditos fuisse, satis docent. Iustinus qui tunc etiam postquam ad sacra christiana transiit, philosophicum pallium retinuit [1]), non solum Platonis doctrina obiter se delectatum esse profitetur [2]), sed ipse narrat [3]) sese ethnica philosophia eruditum esse et interfuisse philosophorum palaestris. Primum enim Stoico cuidam operam navabat, quocum satis diu versatus, quia nihil amplius didicisset de deo (nam neque ipse magister sciebat, nec necessariam esse putabat hanc scientiam) discessit ab eo. Inde ad Peripateticum se contulit; quem quum argenti potius, quam philosophiae videret studiosum, missum fecit. Posthac celeberrimum adiit Pythagoreum, hominem summam prae se ferentem sapientiam. Confessus vero se musices et astronomiae et geometriae disciplinas nescire, dimissus est. Deinde moleste ferens quod spe excidisset, scholis illis philosophicis valere iussis, ad Platonicos quoque qui et ipsi magna in gloria erant, se conferre constituit et plurimum versabatur cum viro quodam prudenti et inter Platonicos excellenti, qui tum Flaviae degebat. Itaque etsi vim quam disciplinae philosophorum Pythagoreorum et Peripateticorum ad excolendum Iustini ingenium habuerint, magni facere non possumus, Justinum philosophiae amore et

---

1) Euseb. Hist. eccles. IV, 11: *Ἰουστῖνος ἐν φιλοσόφου σχήματι πρεσβεύων τὸν θεῖον λόγον.* Dial. c. Tr. c. 1 p. 217 BC *φιλόσοφε χαῖρε, ἔφη* (sc. *ὁ Τρύφων*) — — *ὅταν ἴδω τινὰ ἐν τοιούτῳ σχήματι ἀσμένως αὐτῷ προσέρχομαι.*

2) Apol. 2. c. 12. p. 50 A.

3) Dial. c. Tr. c. 2. (ed. Otto) p 218 E, (ed. Mor. et Col.) p. 219 ABCD.

Stoicorum maxime Platonicorumque doctrinis per aliquod tempus unice tentum fuisse, negari non potest. Valde incorporearum rerum intelligentia se devinctum fuisse et contemplationem idearum menti alas quasi addidisse confitetur. Addit deinde: sapiens mihi videbar intra breve tempus evasisse, ac prae stoliditate in spem veneram videndi protinus Dei, hic enim finis est Platonis philosophiae [1]). Hanc vero quam inde appetiverat eruditionem philosophicam ad ipsorum philosophorum placita refellenda et ad christianam rem contra gentiles tuendam adhibebat; disserendi subtilitas ingeniique velocitas, quam in scholis philosophorum suam fecerat, facultatem ei praebebat disputandi contra adversarios christianae fidei et pugnandi pro rei christianae veritate: qua in pugna contra falsorum deorum cultores, et pro religionis veritate praeclarum a Deo sibi delegatum munus cognovit. Nostrum — ait — est munus, ut et vitae et doctrinae nostrae inspiciendae copiam omnibus faciamus, ne pro iis, qui res nostras se ignorare posse sibi videntur, poenam earum rerum in quibus caecutientes peccaverint nobis ipsis contrahamus [2]). Sicut vero Iustinus philosophum ex Platonis schola se ipse fatetur fuisse, ita etiam auctor epistolae ad Diognetum toto disserendi modo philosophum se prodit [3]). Et eodem, quod Justinus tamquam a summo deo sibi delatum cognovit, munere apologetico et didactico, neglecta doctorum virorum contemptione, qui unam graecam philosophiam pro veritate habebant, spretis minis et odio adversariorum [4]), consiliis amicorum ad metum inclinatorum contemptis, etiam Tatianus fungebatur, unum id metuens et veritus, ne iussus ab adversariis Deum negaret, qui non esse coepit in tempore, quum solus sine principio fuerit et ipse universi principium [5]). Qualemcunque habeamus Tatianum, utrum rhetorem eum dicamus an philosophum, an cum aliis viris doctis utrosque errasse videri statuamus, tum eos qui Tatiano Rhetoricae professionem affinxerint, tum qui unam philosophiae laudem ei tribuerint, tamen id manet, multis peregrinationibus susceptis [6]) eum summo labore animum disciplina conformasse, Graecisque disciplinis imbutum [7]), magnum rerum usum consecutum esse, sicut omnino Oratio

---

1) l. c. p. 219 C.

2) Apol. I. c. 3. p. 54 C cf. Dial. c. Tr. c. 64. p. 287 B.

3) cf. Ritter „Gesch. d. Philos.“ V. p. 294. Otto „De Epist. ad Diogn.“ p. 59.

4) Or. ad Graec. c. 35 (ed. Otto) p. 170 D (ed. Col.). ib. c. 4. p. 144 B *εἰ μὴ τοῖς τινῶν νομίμων συγχρῆσθαι βούλομαι τίνος χάριν καθάπερ μιαρώτατος μεμίσημαι*; c. 25. p. 162 D c. 26. p. 163 B al.

5) c. 4. p. 144 C.

6) c. 35. p. 170 B *ταῦτα μὲν οὖν οὐ παρ᾽ ἄλλου μαθὼν ἐξεθέμην πολλὴν ἐπιφοιτήσας γῆν κτλ.*

7) *τουτοχάριν ἀπεταξάμεθα τῇ παρ᾽ ὑμῖν σοφίᾳ κἂν εἰ πάνυ σεμνός τις ἦν ἐν αὐτῇ*

eius quae exstat ad Graecos, non concipi potest, nisi eum maximam historiarum scientiam coniunxisse cum philosophico ingenio persuasum habeamus. Temporum rationis peritissimum et in exquirendis temporibus diligentissimum fuisse Tatianum, iam dudum inter omnes constat[1]. Et philosophico ingenio et ampla eruditione excellens, Iustinum et Tatianum ceterosque apologetas superavit Athenagoras, cui non raro christiani philosophi nomen merito tributum est. Versatissimus in iis quaecumque ista aetate ad veram pertinebant eruditionem, poëtarum et historicorum veterum opera penitus cognita habuit, id quod ex ipsius libris patescit[2]. Quod denique ad Theophilum attinet, de cuius persona vix quicquam amplius ab antiquis scriptoribus memoriae proditum est, quam Antiochenae ecclesiae episcopatum eum gessisse[3], quamquam ab aliis apolegetis et eruditione et ingenio superatur, in omnibus tamen secularibus literis eruditum totumque in variis gentilium studiis fuisse per vanos superstitionum labyrinthos deerrantem, donec Christianus factus sit, non est quod dubitari possit; ita libri eius ad Autolycum veteris philosophiae et Graecorum scriptorum cognitionem haud exiguam prae se ferunt[4].

Quos igitur viros philosophiam quondam coluisse quamquam constat, nec non prae ceteris platonicae et stoicae incubuisse ex scriptis quae exstant, patet, quumque quae propria fuerint iis, in eo quaerenda sint et propter id una nominentur, quod Graeca doctrina eruditi rem christianam scriptis tuebantur, tamen omnem eos, Christi nomine prolato, reiecisse putes philosophiam, quum dura, immo iniusta saepe eorum de philosophia legeris iudicia, sententiasque quibus veterum disciplinarum placitis repugnant.

Interdum quidem mitius aliquanto, quorum prae ceteris apologetis

---

c. 1. p. 142 B. cf. c. 35. p. 170 B. c. 42. p. 174 C *παιδευθεὶς δὲ πρῶτον μὲν τὰ ὑμέτερα (ὦ ἄνδρες Ἕλληνες).*

1) c. 31. p. 167 A. *παρ' οἷς γὰρ ἀσυνάρτητός ἐστιν ἡ τῶν χρόνων ἀναγραφὴ παρὰ τούτοις οὐδὲ τὰ τῆς ἱστορίας ἀληθεύειν δύνατον* cf. Daniel „Tatian der Apologet" pp. 16—23.

2) cf. Otto „Prolegg. in Opp. Athenag. p. XLVIII sq. Ritter „Gesch. der Philos. V. p. 322. Tzschirner „Fall des Heidenthums p. 214. Baumgarten Crusius „Dogmengeschichte" p. 173: Athenagoras der klarste und sinnvollste von Allen; als Philosoph weit bedeutender als Justin.

3) *Ἕκτος ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων,* sextus ab Apostolis is ecclesiae Antiochenae praefuisse ab Eusebio dicitur (Hist. Eccles. II c. 19 et 20). Quomodo haec quae Eusebius narrat cum Hieronymo dissentienti conciliari possint, disseruit Grabe „Spicilegium Patrum sec. II." p. 218 sqq. cf. Wolf „Theoph. episc. Antioch. l. III ad Autol. Hamburgi MDCCXXIV", ubi in Praefatione quam editioni praemisit vir doctus, multa et veterum quorumdam et recentiorum virorum doctorum de Theophilo iudicia laudata sunt.

4) Tzschirner l. l. p. 215.

Iustinus, de veteri philosophia statuunt, profitentes, haudquaquam plane alienam esse Platonis doctrinam a Christi praeceptis [1]), nonnulla praeclare dixisse interdum aut excogitasse philosophos legumque latores [2]), Christianos a Deo omnia ornata et orta esse dicentes, Platonis proferre videri sententiam; Stoicorum etiam si conflagrationem fore contendant, vel si improborum animas etiam post mortem sensu praeditas puniri, bonorum contra a supplicio liberas beate degere credant, eadem in talibus Christianos atque poëtas et philosophos dicere videri [3]). Quare interrogat Iustinus [4]): *εἰ οὖν καὶ ὁμοίως τινὰ τοῖς παρ' ὑμῖν τιμωμένοις ποιηταῖς καὶ φιλοσόφοις λέγομεν, ἔνια δὲ καὶ μειζόνως καὶ θείως καὶ μόνοι μετ' ἀποδείξεως τί παρὰ πάντας ἀδίκως μισούμεθα;* Stoicos in iis, quae de moribus dixerint, praeclara confessos esse, concedit Iustinus [5]), quin et Christianos eos fuisse dixit, qui ante Christum *μετὰ λόγον* vixerint, quales apud Graios fuerunt Socrates et Heraclitus, apud Judaeos Musonius, Abrahamus, Ananias multique alii [6]), ita ut etiam Graecos philosophos veritatem quodammodo cognovisse negari non possit [7]).

At his mitioribus de veteri philosophia iudiciis multa alia eaque durissima opponi possunt, quibus sententia eorum qui a philosophia prorsus abhorruisse apologetas opinantur, postquam christiani facti erant, confirmari videtur. Philosophi enim et veteres scriptores, quum nil omnino nisi Deo largiente vires humanae in Deo cognoscendo proficere queant, obscurum tantum in modum veritatem videbant [8]), ita ut non solum inter se litigaverint [9]), sed etiam saepe secum ipsis pugnantia dixerint [10]) quumque de gravioribus rebus secum ipsis inirent certamen,

---

1) Apol. II. c. 13. p. 51: *οὐκ ἀλλότριά ἐστι τὰ Πλάτωνος διδάγματα τοῦ Χριστοῦ.*

2) Apol II. c. 10. p. 48 C: *ὅσα γὰρ καλῶς ἀεὶ ἐφθέγξαντο καὶ εὗρον οἱ φιλοσοφήσαντες ἢ νομοθετήσαντες κατὰ λόγου μέρος εὑρέσεως καὶ θεωρίας ἐστὶ πονηθέντα αὐτοῖς.*

3) Apol. I. c. 20. p. 66 DE.

4) l. l.

5) Apol. II. c. 8. p. 46 B *καὶ τοὺς ἀπὸ τῶν Στοϊκῶν δὲ δογμάτων ἐπειδὴ κἂν τὸν ἠθικὸν λόγον κόσμιοι γεγόνασι κτλ.*

6) Apol. I. c. 46. p. 83 C.

7) Apol. I, c. 8. p. 57 B. Coh. ad Gr. c. 22. p. 20 D. ib. c. 1. p. 2 A.

8) Apol. II, c. 13. p. 51 D: *οἱ γὰρ συγγραφεῖς πάντες διὰ τῆς ἐνούσης ἐμφύτου τοῦ λόγου σπορᾶς ἀμυδρῶς ἐδύναντο ὁρᾶν τὰ ὄντα.*

9) Coh. ad Gent. c. 35. p. 33 B. Theoph. ad Autol. 3, 2; 2, 4 et 5; 3, 7. Epist. ad Diogn. c. 8. p. 488 B. *ἢ τοὺς κενοὺς καὶ ληρώδεις ἐκείνων λόγους ἀποδέχῃ τῶν ἀξιοπίστων* (quod ironice dictum esse, recte monuit Otto, in commentatione de Epist. ad. Diogn. p. 64) *φιλοσόφων ὧν οἱ μέν τινες πῦρ ἔφασαν εἶναι τὸν θεόν, οἱ δὲ ὕδωρ, οἱ δ' ἄλλο τι τῶν στοιχείων τῶν ἐκτισμένων ὑπὸ θεοῦ.*

10) Apol. II. c. 10. p. 48. C. *ἐναντία ἑαυτοῖς πολλάκις εἶπον* cf. Theoph. ad Autol. III, 3.

appareat, firmam scientiam et cognitionem quae refelli nequeat, eos non accepisse [1]. Quae quidem inde nata philosophiae discrepantia sectarumque varietas, ab auctoribus denominatarum, argumentum est, illos non divinam sapientiam quae est una et simplex, unique Deo adscribenda, sed humanam sapientiam hominumque inventa secutos esse [2]. Neque tanta facultas iis inerat, ut unius Dei veritatem accurate intelligerent, quippe quum non per Deum, sed per se quisque de Deo discendum sibi esse existimaverint, unde etiam alius aliter statuit de Deo, de materia, de formis et de mundo [3], veluti caecus cum surdo disserat [4]. Similiter Theophilus impias et inutiles philosophorum esse ait sententias, philosophos vero, omnes vanae atque inanis gloriae amore incensos, neque ipsos veritatem assecutos neque alios ad veritatem cohortatos esse [5].

Odit alter alterum, aemulis inter se opinionibus certant, quum ut quaeque res in mentem venerit, ita eam quisque effativerit [6] — talia Tatianus Graecis philosophis obiicit, imo accusationem acerbiorem facit, mores maxime parum cum doctrinis convenire, obiiciens iis (c. 2. p. 142 D): *τί γὰρ σεμνὸν φιλοσοφοῦντες ἐξηνέγκατε; τίς δὲ τῶν πάνυ σπουδαίων ἀλαζονείας ἔξω καθέστηκεν; Διογένης, πιθάκνης καυχήματι τὴν αὐτάρκειαν σεμνυνόμενος, πολύποδος ὠμοβορίᾳ πάθει συσχεθεὶς ἰλέῳ διὰ τὴν ακρασίαν ἀποτέθνηκεν. Ἀρίστιππος ἐν πορφυρίδι περιπατῶν ἀξιοπίσπως ἠσωτεύσατο. Πλάτων φιλοσοφῶν ὑπὸ Διονυσίου διὰ γαστριμαργίαν ἐπιπράσκετο. Καὶ Ἀριστοτέλης ἀμαθῶς ὅρον τῇ προνοίᾳ θεὶς καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἐν οἷς ἠρέσκετο περιγράψας, λίαν ἀπαιδεύτως Ἀλέξανδρον μὴ μεμνημένος μειράκιον ἐκολάκευεν — — — Γελάσαιμι δ' ἂν καὶ τοὺς μέχρι νῦν τοῖς δόγμασιν αὐτοῦ καταχρωμένους· οἳ τὰ μετὰ σελήνην ἀπρονόητα λέγοντες εἶναι, προςγειότεροι παρὰ τὴν σελήνην ὑπάρχοντες καὶ κατώτεροι τοῦ ταύτης δρόμου, προνοοῦσι τῶν ἀπρονοήτων· παρ' οἷς δὲ οὐκ ἔστι κάλλος, οὐ πλοῦτος, οὐ ῥώμη σώματος, οὐκ εὐγενεία, παρὰ τούτοις οὐκ ἔστι παρὰ τὸν Ἀριστοτέλην τὸ εὔδαιμον. Καὶ οἱ τοιοῦτοι φιλοσοφείτωσαν.*

Si quidem Iustinus a talibus criminationibus longe absit, tamen dubitat, quin graeci philosophi hoc nomine vere digni sint. Quodsi veri inventio finis quidam apud eos philosophiae dicitur, quomodo,

---

1) Apol. II, c. 13. p. 51. C. *οἱ δέ ἰ ἐναντία αὐτοῖς ἐν κυριωτέροις εἰρηκότες οὐκ ἐπιστήμην τὴν ἄποπτον* (cf. Otto ad hunc locum n. 5) *καὶ γνῶσιν τὴν ἀνέλεγκτον φαίνονται ἐσχηκέναι.*

2) Tat. Or. ad Graec. c. 26. p. 163. C. Justin. Dial. c. Tr. c. 2. p. 218 C.

3) Athen. Suppl. pro Chr. c. 7. p. 8. A. cf. Theoph. ad Autol. II, 10.

4) cf. Tat. Or. ad Graec. c. 26. p. 163 C.: *καὶ διὰ τοῦτο πάντες οὐδέν ἐστε· σφετερίζοντες μὲν τοὺς λόγους, διαλεγόμενοι δὲ καθάπερ τυφλὸς κωφῷ.*

5) Theoph. ad Autol. III, 2.; II, c. 12. p. 357 ed. Ben.

6) Tat. or. ad Graec. c. 3. p. 144. B.

quaerit, qui veri cognitionem non consequuntur philosophiae nomine sunt digni? Nam si vestrorum sapientium sapientissimus Socrates, cui etiam oraculum vestrum, ut ipsi narratis, testimonium dat, dicens „virorum omnium Socrates sapientissimus,“ confitetur se nihil scire: quomodo qui post eum orti sunt etiam coelestia scire se pronuntiarunt?[1]) Christi disciplinam, philosophicis contrariam, certissimam solamque tutam atque utilem esse pronuntiat[2]).

Attamen quum rem christianam et christianae religionis doctrinas ad artem revocare conabantur apologetae, veteris philosophiae eos usos esse doctrinis, quas ad novam eamque solam certam accommodarent philosophiam, proxime ad veritatem accedere iam a priori videtur. Imo quae erat vis, qua philosophia animos omnium eorum virorum afficiebat, qui eruditione haud semper carebant, philosophicis disciplinis cum tota illius temporis educatione totoque animi cultu artissimo vinculo coniunctis, etiam invitos illos viros de christianae doctrinae primordiis optime meritos, ad prioris eruditionis notiones duci oportebat, simulatque denuo novam rem non ex parte tantum intelligere, sed omnem perspicere inciperent. Quo propensiores essent ad statuendam quamdam inter philosophiam ante christianam ipsamque christianam doctrinam affinitatem, ita ut hanc ut totam et perfectam veritatem illi quasi mancae veritati opponerunt[3]), vel philosophiam tamquam christianae religionis *προπαιδείαν* haberent, institutum Dei, quo hominum animi ad evangelium suscipiendum praepararentur; quo magis igitur discrepantia inter evangelium et veterem philosophiam quantitativa esse videretur, eo esse debebant paratiores ad probandas philosophorum sententias, eoque minus cunctari poterant, ea quae antea didicerant repetere, quorum ope novas doctrinas ad artem revocarent. Jam ipsa infestarum doctrinarum impugnatio retroversum vim habebat ad eas, quas defendere volebant, doctrinas excolendas, et ad totum systema, quod efficere incipiebant. Illa etiam omnibus fere veteris ecclesiae doctoribus communis sententia, praeclarissimos philosophos, quidquid boni dixerint, ex Mosis et ceterorum prophetarum sacris, in quibus lateat christiana doctrina scriptis[4]), hausisse, ut sua dogmata veri specie ornarent[5]), doctos illos vi-

1) Coh. ad Gentiles c. 36. p. 33. C.

2) Dial. c. Tr. c. 8. p. 225. B.: *ταύτην μόνην εὕρισκον φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον.* cf. Coh. c. 38. p. 37. B.: *πανταχόθεν εἰδέναι προσήκει ὅτι οὐδαμῶς ἑτέρως περὶ θεοῦ ἢ τῆς ὀρθῆς θεοσεβείας μανθάνειν οἷόν τε, ἢ παρὰ τῶν προφητῶν μόνον, τῶν διὰ τῆς θείας ἐπιπνοίας διδασκόντων ἡμᾶς.*

3) cf. Iust. Apol. II. c. 13. p. 51 D.

4) Dial. c. Tr. c. 29. p. 246. D. Tat. or. c. 40. (ed. Otto).

5) Theoph. ad Authol. I, c. 14.: *ὧν τιμωριῶν (αἰωνίων) προειρημνέων ὑπὸ τῶν προφητῶν μεταγενέστεροι γενόμενοι οἱ ποιηταὶ καὶ φιλόσοφοι ἔκλεψαν ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν εἰς τὸ δόγματα αὐτῶν ἀξιόπιστα γενηθῆναι.*

ros, propensos faciebat, ut cognationem quamdam quaererent et statuerent inter veterem et novam philosophiam. Itaque Justinus Platonem sententias quasdam a Mose propheta, quippe qui omnibus Graiorum scriptoribus sit antiquior, mutuasse ait. Et quaecumque de immortalitate animae, de poenis post mortem, de rerum coelestium contemplatione, de aliis eiusmodi dogmatibus tum philosophi, tum poetae dixerunt, a prophetis sumto argumento et intelligere potuerunt et exposuerunt[1]). Ipsi igitur Graeci philosophi et scriptores divina rerum humanarum providentia coacti sunt, qui multa vel inviti pro Christianis dicerent, quorum maxime ii qui in Aegypto fuerunt et ex Mosis eiusque maiorum religione fructum perceperunt, ita ut iis quae prius non recte de diis opinati fuerant contraria postea statuerent[2]). Denique quum apologetae rem christianam paganorum principum tutelae et curae commendare cuperent, magni momenti iis videri debebat similitudo, quam inter ipsorum doctrinam et philosophorum placita esse reperirent. Quomodo melius et securius gratiam a viris philosophiae faventibus inituros esse sperare poterant, quam si summas et praeclarissimas graecae sapientiae ideas in Christo perfectas esse, in eo omnes veritatis radios per paganorum mundum dispersos collectos esse ad unam aeternamque lucem[3]).

Quibus praemissis si veteris philosophiae in doctrinis apologetarum excolendis vim atque auctoritatem accuratius exponere conamur, pauca quaedam de ratione, qua philosophiae vim in his doctrinis factam esse putemus, dicenda videntur; primum omnium vero ut planius appareat quid sit de quo disputetur, historia huius controversiae a prima inde origine paucis tamen videtur repetenda.

Accusatio illa notissima, christianam veritatem per philosophiam gentilem, et prae ceteris per Platonicam esse depravatam, doctoresque ecclesiae ad pravos se abripi passos esse errores, iam primis ecclesiae temporibus saepius audita et maxime ab orthodoxae ecclesiae docto-

---

1) cf. Apol. I. c. 44 p. 82 A.

2) Coh. c. 14 p. 15 B: *πολλὰ — καὶ ἄκοντες ὑπὲρ ἡμῶν εἰπεῖν ἠναγκάσθησαν καὶ μάλιστα οἱ ἐν Αἰγύπτῳ γενόμενοι καὶ ἀπὸ Μωυσέως καὶ τῶν προγόνων αὐτοῦ θεοσεβείας ὠφεληθέντες. Οὐ γὰρ λανθάνειν ἐνίους ὑμῶν οἶμαι — — ὅτι καὶ Ὀρφεὺς καὶ Ὅμηρος καὶ Σόλων καὶ Πυθαγόρας καὶ Πλάτων καὶ ἄλλοι τινες ἐν τῇ Αἰγύπτῳ γενόμενοι, καὶ ἐκ τῆς Μωυσέως ἱστορίας ὠφεληθέντες ὕστερον ἐναντία τῶν πρότερον μὴ καλῶς περὶ θεῶν δοξάντων αὐτοῖς ἀπεφήναντο.* Cf. Theoph. ad Autol. II, c. 12. Otto „de Justini scriptis et doctrina" p. 82. Clausen „Apologetae eccl. chr. ante Theodos. Plat. eiusque philos. arbitri p. 87 et p. 99.

3) Sed cave ne philosophicis formulis apologetas usos esse opineris, unum id molitos, ut philosophos de evangelii veritate persuadeant. Cf. Baumg.-Crusius l. c. p. 167 n. 2. Ackermann „das Christl. im Plato" p. 3. Tzschirner l. l. p. 245. Clausen l. c. p. 22.

ribus contra haereticos sive viros doctos de haeresi suspectos repetita est. Itaque iam a Tertulliano (in libr. de praescript. adv. haeret. c. 7, coll. c. 30) haereses a philosophia subornari contenditur et ab eodem ecclesiae patre omnium haereticorum condimentum dicitur Plato (lib. de an. c. XXIII), philosophi vero cuncti haereticorum patriarchae appellantur. Cui Tertulliani sententiae etiam Hieronymus assensus est, ubi scribens (epist. XLIII ad Ctesiph.): Pulchre quidam nostrorum ait: Philosophi patriarchae haereticorum ecclesiae puritatem perversa maculavere doctrina[1]). Idemque opprobrium apud Irenaeum legitur, ubi Valentiniani doctrinarum auctores Anaxagoram dicit et Empedoclem et Platonem: idem apud Origenem, qui totam Domini ecclesiam Gnosticorum sententiis ex philosophorum doctrinis haustis pollutam esse existimat.

Culpam vero in haereticos abusus philosophiae gentilis collatam, mox singuli orthodoxae ecclesiae doctores alius alii crimini vertebant. Iam de Clemente Alexandrino questus est Eusebius: *ἅπασι καταμίγνυσι καὶ τὰ φιλοσόφων δόγματα* (hist. eccles. VI c. 13); multo apertius vero ab Hieronymo, Methodio, Marcello Ancyrano, Justiniano aliis nimii Origenes philosophiae Platonicae amoris accusatus est, utque perverse ad tradenda atque illustranda religionis christianae decreta Platone sit usus. Quin et Augustinus, qui ipse multus est in Platonicae philosophiae laudibus, nonnullos refellit (de doctr. christ. II. c. 28. Epist. 34 Ad Paulin. sub finem), quos tantus Platonis amor invaserat, ut Jesum Christum dominum nostrum omnes quas mirari et praedicare cogerentur sententias Platonicis ex libris didicisse dicerent[2]); quae quidem sententia prorsus sane abhorret ab altera illa postea commemoranda, qua Platonem ceterosque graecos philosophos a Mose quae recta habuerint mutuatos esse putabant.

Idem vero doctrinam christianam gentili philosophia depravatam esse opprobrium in recentiori aetate magna quadam haud raro innisum doctrina prolatum absque aliis viris doctis veritatemque non accurate exquirentibus, repetitum est. Veteris ecclesiae temporibus philosophia et imprimis Platonismus nimio in honore habitus crimini dabantur haereticis ab orthodoxae ecclesiae doctoribus, virique docti, orthodoxae doctrinae opinionem habentes, pro auctoritate philosophiae in doctrinis scriptisque eorum reperta et indicata, in haereseos suspicionem vocabantur; in his ipsis temporibus doctrinae depravatio universo quod excultum erat orthodoxo dogmati crimini data est.

Quae quidem de patrum ecclesiasticorum Platonismo controversia in Socinianorum et Arminianorum excitata est disquisitionibus, primis

---

1) cf. Keil „Opuscc. acad." p. 441 sqq. Walch. Bibliotheca patristica ed. Danz p. 438.
2) cf. Walch. l. l. p. 441.

omnium contra dogma et rationes ecclesiae factarum, quum adhuc usque patrum sententiae nonnisi eo consilio collatae et diiudicatae essent, ut unum idemque mutata per saecula christianum dogma manere ostenderetur.

Viri docti Faydit[1]) et J. W. Zierold[2]) cum plurimis ecclesiasticis scholasticorum adversariis consentientes, ecclesiasticae religionis depravationem ex Aristotelica deducebant philosophia; at una fere Colbergius[3]) exstitit patresque ecclesiae crebrorum accusavit Platonismorum. Quem secutus est Chr. Fr. Bucherus[4]) et ipse de Platonicis disserens dogmatibus quasi fanaticarum opinionum fonte, imprimis patrum ecclesiae. Quarum disputationum maioris momenti est et prae ceteris eminet liber ille, qui inscriptus est: Le Platonisme devoilé[5]), cuius auctor anonymus nemine negante Souverainius esse dicitur, in Germania praecipue Loeffleri versione divulgatus. Hi quum hoc libro, quem multi secuti sunt de eadem re litigantes, veritatem revelatam esse putarent, eique libenter assentirent, illi contra infestissimo eum adspiciebant animo et in eum prae ceteris iram effundebant. — Totius litis scripta proferre cuncta longum est: accuratior eorum commemoratio legitur apud Walchum[6]), Buddeum[7]), Keilium[8]). Eorum, qui haud multis a Souverainio dissentiunt, Clericum[9]), eorum qui tales viros refutare conabantur, Baltum[10]) nominamus. Souverainius et Clericus veteres ecclesiae doctores, quum legissent scripturam inde ut religionis

---

1) Altération du dogme théologique par la philosophie d'Aristotele. Par. 1696. 8.

2) Zierold „Einleitung zur gründl. Kirchengesch., mit d. hist. philos. verknüpft 1700, 4. V. p. 337: Nun frag ich zwar nichts nach Platone, und hab ihn schon längst verworfen, allein die Wahrheit zwinget mich zu sagen, dass die Lehr Simonis und seine Nachfolger die Gnostici, hernach die Valentinianer, Arianer, Aetianer und Atheisten, Pelagianer und Papisten vornehmlich aus Aristoteles entstanden. p. 443: Im dritten und nachfolgenden Seculis hat sich das Geheimniss der Bosheit sonderlich durch das Aristotelische Christenthumb mehr und mehr offenbaret. p. 348 Pelagiani dicuntur „des Aristoteles Affen". p. 366: Diese hist. Betrachtung des Aristotelischen Christenthums vor Luthero ist sehr nothwendig und nützlich, denn wer dieses erkennet, wird leicht einen Ekel vor das Papstum bekommen, als welches auf einen gottlosen Heiden den Aristotelem gebauet ist.

3) Hermetisch platon. Christenthum, p. I, c. 1, §. VI, p. 26 sqq. Lips. 1690. 8.

4) Menses pietistici: die Tiefe des Satans in dem hermetisch-zoroastrisch-pythagorisch cabbalistischen Christenthum der Pietisten vorstellend. Vitemb. 1705. 8.

5) Le Platonisme dévoilé ou Essai touchant le Verbe Platonicien, divisé en deux parties; à Cologne 1700. 8.

6) l. l.

7) Introd. in hist. Theol. l. II, c. 3, p. 497 sqq.

8) l. l.

9) Epistoll. critt. et ecclesiastt.

10) in libro Dé[illegible] pères, accusez de Platonisme. Par. 1711. 4.

christianae systema quoddam colligerent, Platonicas suas notiones scripturae notionibus ubique miscuisse et quod in scriptura non legeretur quodque credi vellent, ex ea deduxisse consectariis, non ex uno fonte, sed ex Platone aeque ac ex Prophetis, derivatis contendebant: quodque dicitur de verborum pompa et tumore, quibus simplicitas doctrinae Jesu depravata sit, Platonismo id crimini dabatur [1]), totamque dogmatum ecclesiasticorum historiam nonnisi conturbationem quamdam esse et implicationem in philosophicis phrasibus habebatur. Qui quidem ipsi docti viri maxime doctrinam respiciebant de trinitate; quorum contra qui sequebantur vestigia, etiam in ceteris dogmaticis doctrinis philosophiae auctoritatem ostendebant, easque non minus perversas esse, haud occulto significabant. Baltus contra qui notissimum suum librum praecipue Joan. Clerico et Souverainio opposuit ad alterum procurrit extremum modumque excessit, patres ab omni Platonismi imputatione absolvens [2]), numquam eos Platonem secutos esse, sed in gravissimis quibusque doctrinis philosophos refellisse, demonstrare conatus. Non multi doctores Baltum secuti sunt. Licet vero plurimos theologos in eo consensisse videamus, ex Platonis philosophia nonnulla in theologiam christianam fluxisse, magnopere tamen in definiendo patrum Platonismo dissentiunt et plerique in notione eius constituenda ipsi videntur dubii fuisse atque ambigui. Alii quum platonicas formulas in christianam translatas esse doctrinam, patresque magis ex philosophicis disciplinis, quam ex christiana conscientia scriptisque sacris doctrinam hausisse vellent, alii cogitandum potius aiebant esse de argumentis quibusdam, deque phrasibus et similitudinibus, quibus ad explicandas christianorum doctrinas usi fuerint patres ecclesiae; quin et Roesslerus [3]) Platonismum patrum nihil nisi accommodationem eorum fuisse, defendere conatus est.

Platonismus si hoc sensu modo indicato comprehendendus esset, tota lis iam non diutius sub iudice foret, nam talem ad excolenda systemata virorum doctorum auctoritatem philosophiae literisque eruditorum omnino non fuisse, cogitari non posset et haec praeterea philosophiae vis tam externa foret ut qui eam negaturus esset vix unus reperiretur. Maioris momenti haec quaestio tum demum est, quum quae-

---

1) Art critique I, p. 536. Löffler l. l. p. 295.

2) Sunt verba eius: Dans le second livre je montreray que les mêmes Ss. Pères n'ont jamais suivi la philosophie Platonicienne, sur quelque matière que ce puisse être; et qu'au contraire ils l'ont rejettée absolument et sans aucune exception. Dans le troisième livre je feray voir, que non seulement ils l'ont rejettée et condamnée en général, mais encore qu'ils l'ont combattue dans tous ses points principaux: qu'ils en ont réfuté toutes les erreurs avec beaucoup de force, et qu'enfin ils n'ont rien omis pour confondre Platon et en donner du mépris à tout le monde. p. 7.

3) De opinionibus philosophiae ecclesiasticae. Tubing. 1781. 4.

ritur, num per philosophicas disciplinas, in quibus edocti erant patres, talia in doctrinas eorum translata sint elementa, qualia neque ex fidei christianae conscientia orta, neque in Scriptura confirmata, opposita sint doctrinae christianae recte intellectae bibliorumque sacrorum auctoritate innisae. Inde diiudicandum erit, quid patribus plurimum valuerit, utrum christianae fidei summa, an Platonis philosophia sive omnino veterum philosophorum disciplinae. Quodsi summa christianae fidei, haec multis modis per philosophicas doctrinas explicari, explicata depravari poterat, id tamen quod praecipuum iis primumque erat, manebat, nucleus ut ita dicam, doctrinae; si vero philosophicae disciplinae plurimum valebant, christiana quidem cum iis coniungi poterant, sed minoris tamen momenti erant, et in philosophia tantum inhaerebant. De qua quaestione quae iudicemus, quantum ad apologetas saeculi secundi attinet, infra indicabitur; clarissime tota demum disquisitione peracta elucebit. — Id hodie neminem latet et pro certo haberi potest, utramque mancam esse argumentationem et eorum qui patrum doctrinas philosophia veterum prorsus depravatas esse volebant, quique quod doctrinae christianae proprium erat, nimium negligebant, et eorum, qui vim quamdam veteri philosophiae ad excolendas christianas doctrinas inesse prorsus negabant, id veriti, ne ulla in re auctoritatem patrum, consuetudine receptam, imminuere viderentur. Nam quod ad alteram attinet, non satis accurate et ad singulas doctrinas respicientes patres philosophiam ad instituenda dogmata applicasse statuendum erit, quum nonnulli eorum antequam Christo nomen dederant, philosophicis disciplinis prorsus addicti non fuerint, sed incitati tantum ab iis. Praeterea illa quam Christo inesse cognoverant veritas, piusque quo Christi praecepta accipiebant animus, scriptorumque, qui vaticinantes de Christo dixerant, intelligentia, tuebatur eos, ne nova cum antiquis commiscentes, ipsas ecclesiasticas doctrinas corrumperent et depravarent. Itaque et ipsi illi, qui liberius illis doctrinis utebantur, „omnem sapientiam hominum omnemque philosophiam revelationi divinae et supranaturali esse subiiciendam constanter existimabant". Quae aliena vi et auctoritate orta in scriptis eorum leguntur, ea potius deducenda videntur esse ex toto illius aetatis ingenio, quod philosophicum erat omnibus graecae eruditionis participibus, ita ut ecclesiae patres philosophia uti possent, etiamsi eam non puram accepissent, neque semper ipsis ex fontibus haurire soliti essent.

Sed ii etiam docti viri, alteram illam qui defendebant sententiam, errasse videntur. Nova enim vita, quae fide et cognitione Christi inseritur homini, nonnisi sensim ac pedetentim naturalem hominem renovat, omnesque eius vires comprehendit, comprehendendo restituit, itaque sensim demum totus cogitandi labor compellitur fide atque mo-

vetur. Quae quum ita sint, quod fide continetur quodque fides per se ipsa pro certo habet, in systema redigere et conferre, res est paullatim tantum perficienda, cuius qui primi in re et doctrina christiana pertractanda versabantur, fundamenta iaciebant. Quot doctrinae longo demum labore peracto novisque allatis experientiis promtae fieri poterant! Quid? quod ne nostra quidem aetate tale reperitur systema, quo fides christiana accuratissimam et prorsus convenientem explicationem acceperit, quam universa domini ecclesia probet. Quam quidem, donec inveniatur, quaerere formulam munus est illud totius ecclesiae maximum: quod ad finem perducere, non initium theologiae, sed exitus esse debet. Quid igitur miramur primos ecclesiae doctores, si quidem antecedentis eruditionis vestigia in scriptis placitisque eorum inveniamus [1])

Sed iam in narranda controversiae nostrae pergentes historia, primum quidem alterius dissensionis in definiendo illo doctorum ecclesiasticorum Platonismo mentio facienda est; quae dissensio orta est viris doctis et de fonte unde patres philosophiam doctrinis christianis admixtam hauserint, disputantibus. Erat enim vulgaris sententia, illam theologiae christianae per Platonicas doctrinas corruptionem ex genuina veteris academiae Platonica doctrina esse repetendam. Cui sententiae Mosheimius dissertationem suam de turbata per recentiores Platonicos ecclesia opposuit [2]). Qui quidem vir doctissimus recte dicit, christianum philosophum, qualis seculo secundo et sequentibus exstiterit, Eclecticum fuisse, qui ex omnibus quidem philosophorum sectis adscisceret, quae religioni christianae haud refragari putaret, at Platonem tamen reliquis omnibus philosophis meliorem esse et proxime a Servatoris nostri disciplina remotum esse duceret. In eo autem errat quod hunc eclecticismum eundem ac Neoplatonismum esse dicat, cuius auctorem Potamonem quemdam fuisse putat, incertae aetatis virum, quum Neoplatonismus posteriori tempori, quam quo primi ecclesiae patres philosophati sunt, originem debeat: Plotinus enim primus quique gravissimus et Neoplatonicorum omnium maxima praeditus auctoritate dicitur anno non prius ducentesimo post Christum quinto natus est Romaeque inde

---

1) cf. Tzschirner l. l. p. 580: Ein Wunder wär' es, wenn ihre Ansicht wie durch einen Zauberschlag verändert und das Band, welches sie an die Vorzeit und Bildung ihres Volkes knüpfte, plötzlich zerrissen worden wäre, so dass keine Spur von der Einwirkung des Platonismus, der sie von Jugend auf genährt hatte und fortwährend in den Schriften ihres Volkes und in den Gesprächen der Zeitgenossen sie berührte, in ihrer Lehrart gefunden würde. — V. praeterea Baumg.-Crusius l. l. I, p. 167 sqq. Hagenbach „Lehrb. der Dogmengesch." ed. 4. p. 32 sq. pp. 44 sqq. Otto l. l. p. 78. Daniel, Tatian der Apologet p. 127 sq.

2) cf. Tom. II versionis lat. System. intellect. Cudworthiani in Append.

ab quadragesimo anno aetatis docuit. Non iniuste quidem Neoplatonismi sentiendi cogitandique mòdum antea iam latissime patuisse dicitur; sed nihilosecius de vi quadam eius ad excolendas patrum ecclesiae doctrinas propter originis tempus disputari non potest [1]. Neque omnino ullam eclecticam philosophiam fontem esse, unde hauserint putare opus est, quum ipsi eclectico modo philosophari possent: nam qui veteres disciplinas tuerentur multi viri docti exstiterunt auctoresque singularum disciplinarum et coryphaei, imprimis Platonis libri diligentissime legebantur, cuius rei testes in ipsis Patrum scriptis exstant plurimi. Itaque etiam Keilius [2] patres ex graeca philosophia pendere negans, ut Philoni et alexandrinae religionis philosophiae maximam ad excolendas eorum doctrinas adiudicaret vim, minus accurate rem enucleavit. Si omnia spectas, Keilius eorum virorum sententias sequitur, qui culpam corruptae platonicis sententiis Theologiae a patribus dimovere studebant. Quibus vero a ceteris defensoribus dissentiat, his indicat: „Horum vero partibus quamquam et ego accedendum esse existimo, meae tamen rationes ab illorum rationibus ita differunt, ut cum plerique eorum, quae in antiquiorum doctorum scriptis iustam aliquam habere videantur offensionem, ea tam diu torqueant, inque partes diversissimas trahant, usque dum aptissime et ad receptae doctrinae formulam accommodatissime scripta appareant, ego contra infitias minime eam, esse quaedam parum recte ab iis scripta aut defensa, sed id tamen negem, ea primum ab iis in religionis doctrinam esse introducta et ex Platonica philosophia desumta, sed aliunde potius ad eos delata esse contendam". Primum quidem ad animum patrum a philosophia alienum delegat, deinde eos unam scripturam sacram veri cognoscendi ac iudicandi fontem habuisse docet, denique vero quae ex Platonica philosophia in religionis doctrinam dicantur assumta fuisse, ea non modo ipsos aliunde se didicisse professos esse, docere, sed per singula etiam eundo, re vera aliunde profecta, declarare conatur. Si vero quaeratur, quinam sit ex Keilii opinione fons, unde illa profecta sint, quae vulgo ex Platonica philosophia in religionis doctrinam translata fuisse dicantur, maximam partem tales doctrinas ex Judaicis fluxisse respondendum est. Multa enim a Judaeis ut dogmata, in libris eorum sacris tradita, ad eos esse transmissa et inde licet aperto plerumqne errore, bona tamen fide, ut pars religionis divinitus revelatae ab iis habita itemque aliis esse proposita.

---

1) De vera Neoplatonismi indole v. Bouterwek „Philosophorum Alexandrinorum ac Neoplatonicorum recensio accuratior". Commentt. Soc. Gotting. recentt. class. hist. et philolog. V, 227. Ritter, Gesch. d. Philos. IV, p. 537 sqq.

2) De doctoribus vet. eccl. culpa corr. per Platonn. sententt. theol. liberandis commentationes XXII. Opuscula acadd. ed. Goldhorn p. 439 sqq.

At si patres veterum philosophorum scriptis et doctrinis eruditos fuisse pro certo habemus, cur circuitu utique usi sibi ea assumsisse dicuntur, quae recta potius iam via et doctrina eruditi et lectis libris sua fecerant, intelligi omnino non potest. Qualis foret circuitus, si patres ex philosophia graecorum hausisse negaretur, unamque Alexandrinorum doctrinam eorum fontem fuisse contenderetur. Re vera Keilii sententia sublata est, plurimique virorum doctorum hodie non offenduntur, patres, quo fidei summam arte concluderent eamque in systema redigerent, veteribus philosophicis usos esse doctrinis: neque si quando literarum motus in ecclesia fiebant, aliter fieri non potuisse, nisi philosophiae memoria repetita, omittitur.

Ad quam de Platonismo Patrum quaestionem enucleandam magna sunt merita eorum virorum, qui accuratius disquirere sibi proposuerunt, quaenam Platonis disciplinae cum Christianismo sint communia, undeque factum sit, ut voluntas et studium Christianos toties in Platonicae philosophiae sinum compulerit, quo accuratius etiam lineae duci possint, quae christianismum a Platonis philosophia separant. Huc pertinent praeter id quod occasione oblata a viris doctis saepius monetur Staeudlini dissertatio de philosophiae platonicae cum doctrina religionis revelatae et iudaicae et christianae cognatione (Goett. 1819), Grotefendii Commentatio in qua doctrina Platonis ethica cum christiana comparatur (Goett. 1820), et disquisitiones Baumgarten-Crusii, quarum summa in eius dogmatum historia invenitur (p. 165 sqq.). Staeudlinus magnam et singularem inter philosophiam Platonis doctrinamque religionis biblicam similitudinem et cognationem, quam inter eas intercedere una fere omnes harum rerum gnari iudicarunt, illustrare sibi proposuit, Platonemque si Christum novisset, palmam ipsi cessurum et ad pedes ipsius se prostraturum fuisse pro certo habet. Grotefendius similitudinem et dissensionem christianae religionis et Platonicae philosophiae cautius magisque circumspecte exposuit.

Fusius et uberius de hac quaestione disputavit Ackermannus in libro celeberrimo, non sine magno animi fervore pulchraque scientia conscripto: „Das Christliche im Plato und in der Platonischen Philosophie". Et rem christianam et Platonismum salutem sive redemtionem vitae humanae spectare dicit, idque quod apud Platonem et in eius philosophia christianum sit in notione spectandi salutem inveniri. Itaque hoc momentum teleologicum Platonismo et christianismo prae ceteris proprium esse docet. Discrimen vero quod inter utrumque intersit, ita explanatur: Plato ad salutem vitae tendere quidem potuit, sed eam efficere non potuit, ita ut christianismus ad platonismum eandem habeat rationem quam velle ad posse, quam idea ad rem veritatemque, quam doctrina ad vitam. Quas quidem Ackermanni sententias

primas diligentius exsequi et diiudicare, non in mente neque nostri iudicii est; nam longum est et praeterea iam dudum viri doctissimi Nitzschius et Ritterus libri argumentum recensuerunt atque iudicium de eo tulerunt[1]; praeter quos ad libri quoque delegamus censuram, quam Baurius doctissimae suae de ratione quae sit inter Platonis doctrinam et rem christianam institutae disquisitioni, qua viam sibi ad suam ipsius sententiam illustrandam patefaceret, praemisit. Baurius ipse autem primum quidem Platonismi et Christianismi cognationem quod ad doctrinam attinet, indicat, alteram praeterea cognationem in ea, quam Socratis personae dederit Plato, videt gravitate. Nam sicut ad Socratem, Platonis magistrum, totius motus initia reducenda sunt, cui antiqua philosophia summum florem debebat, ita similitudo quae est inter Platonismum et Christianismum iam in Socratis ethico principio haud immerito reperitur; atque ethicum praecipue quod in Platone est, momentum commemoratur, in quo similitudo illa quaerenda sit. Praeterea et in Platonismo et in Christianismo omnia a centro vitae cuiusdam humanae, pro manifestatione numinis divini habitae proficisci contendit Baurius; in hac vita autem novum quoddam exstitisse principium, quod saluberrime summaque gravitate in historiam generis humani intraret, idque ad novum altioremque gradum animi vitae in cognatione cum Deo positae, tolleret.

Etiam Zellerus[2] in ethica Platonicae philosophiae indole cognationis vinculum cum religione cernit. Nam in religione non per se solam agi theoreticam scientiam, sed eam nonnisi applicatam ad vitam et mores: itemque apud Platonem scire et agere unum esse; veram scientiam simul esse vivam; veramque vitam ex philosophica manare scientia. Si vero idem diligentissimus graecae philosophiae investigator de platonico potius elemento, quo christianismus contineatur vult quaeri: id nonnisi de dogmatibus christianis intelligi fas est, in quae platonica quaedam translata sint; quo sensu etiam ipse Zellerus quae docet intellexisse videtur, quum ea contra sententia, quae christianismum summam antiquitatis vult concipi eumque antiquitate dicit effectum esse, etiam atque etiam reiicienda sit; quum res christiana manifestatio Dei sit, historia, totaque in rebus a Deo summo confectis. Antiquo mundo dentes, quibus res christiana conveniret, acriter elaborati erant, sed ipsi dentes, qui cum his coibant, novi erant et plane novum quoddam afferebant. Commissura difficile cognoscitur, quum linea non recte sit facta, sed quum novum quoddam res antiquas comprehenderet quodque antiquum erat longe lateque in novum porrigeretur.

1) Theoll. Stud. u. Kritt. 1836 p. 471 et p. 486.
2) Zeller l. l. II, p. 315

Itaque si nonnullos illorum dentium qui in novum mundum porriguntur, exquirere conamur, vestigia dico antiquae philosophiae si quae inveniantur in scriptis eorum virorum, qui primi christianismum arte literisque defendebant, praeter Platonicam et Alexandrinam philosophiam, imprimis Stoicismum a nobis respici opus est. Apologetae non ignari quidem erant doctrinarum Aristotelis; sicut Justinum Peripatetico operam navasse supra iam vidimus; atque apud Athenagoram non solum commemoratio, sed etiam reiectio doctrinarum quarumdam Aristotelicarum reperitur [1]), immo interdum Aristotelis philosophia vim quamdam ad Athenagorae doctrinas excolendas habuisse videtur [2]), sed Aristotelica philosophia iam in ipsa schola, quae eam excolere suscipiebat, atque a primis eius capitibus amputabatur; metaphysica, neque ita multo post physica negligebantur, atque praeter ethicas disquisitiones quae vulgarem popularemque formam accipiebant, nonnisi doctrina et eruditio a schola commendabantur [3]). Platonismus contra et Stoicismus qui tum longe lateque propagati erant, iam propter ipsorum naturam, Christianos philosophantes magis quam ceterae disciplinae alliciebant. Itaque imprimis Platonicae et Stoicae philosophiae vestigia exquirere conantes, data occasione aliarum disciplinarum vim, si quam inventuri sumus, commemorabimus.

In quibus vestigiis investigandis singulorum apologetarum doctrinas non separatim omnes in disceptationem vocabimus, sed quum fere in eo quod ad essentiales doctrinae partes attinet, consentiant, distribuendae disquisitionis nostrae ratio ex eorum ipso systemate deducenda esse videtur, quare differentias doctrinarum quodque singulis apologetis proprium est, suo loco observaturi et explicaturi sumus. Plerumque fere a Justini doctrinis proficisci poterimus, is quia prae ceteris apologetis omnium doctrinarum suarum expetiverit concordiam concentumque. Scriptorum Justini quae exstant, praecipue ad duas apologias et ad Dialogum cum Tryphone habitum, denique ad fragmentum, quod exstat, de resurrectione mortuorum delegabimus, neque omittemus Cohortationem ad Graecos, quae etsi Justino fortasse abiudicanda sit, tamen pro ingenio quod spirat ad apologeticorum scriptorum saeculi secundi seriem pertinet. Verum ad dogmaticas Justini doctrinas cognoscendas paullum hoc scriptum adiuvat, cuius auctor minus suarum doctrinarum defensionem, quam graecae theologiae dissolutionem sibi proposuit. Tatiani respiciemus Orationem ad Graecos, Athenagorae Supplicationem pro

1) cf. Corpus Apologett. ed. Otto Athenag. p. 30, 7 A.

2) cf. Ritter „Gesch. d. Philos. V., 321. cf. p. 315. Athen. Leg. p. 61. De resurrect p. 198 sqq.

3) cf. Zeller l. l. II p. 575 sqq.

Christianis, et librum de resurrectione mortuorum, Theophili libros tres ad Autolycum — ad quae scripta praestantissimum illud christianae antiquitatis monumentum accedit, Epistolam dico ad Diognetum, cuius auctor etsi non eadem philosophica, qua ceteri patres subtilitate utatur, insignem Christianorum et animi candorem et vitae integritatem gravi oratione praedicans, non omni philosophico colore caret.

Itaque, ut quam viam inituri simus paucis indicemus, disputatio nostra primum philosophiae in doctrinis de Deo ad artem revocandis vim atque auctoritatem explicabit, diiudicabit. Quae doctrinae quum minus diligenter et accurate a primis ecclesiae doctoribus sint expositae in eam partem, qua docenda erant, quod per se sit divina essentia, in eam vero, qua docenda erant, quomodo fiat revelatio, eo gravius occupaverint ingenia, neque prorsus intelligi possint, nisi allata de *λόγῳ* doctrina, mox accuratius explanare conabimur, quamnam vim ad hanc doctrinam excolendam habuerit antiqua philosophia: in qua doctrina summam et fundamentum totius philosophiae et theologiae illius temporis summo iure cerni, neminem infitias iturum esse arbitror. Hanc vero doctrinam perscrutati adducimur ad apologetarum doctrinas de mundo et de homine, de cuius naturae ratione accuratiorem quaestionem instituamus, necesse est. Ceterae doctrinae de angelis et daemonibus, de inspiratione et de immortalitate animae, quae ita ut inveniuntur, conceptae non intelliguntur, nisi vi atque auctoritate antiquae philosophiae concessa, facile cum iis quas diximus coniungi poterunt.

Ut in contemplatione divinae essentiae, qualis per se sit et in doctrina, qualis est de Deo eiusque attributis, studium collocarent, apologetis seculi secundi nondum data erat occasio. Deum esse, persuasissimum iis erat: nam ipse in vetere Testamento hominibus sese revelaverat, per prophetas locutus erat et in Christo voluntatem suam ad hominum salutem spectantem perfectissime manifestaverat, quin et pagani non modo divina numina agnoscebant, verum etiam pie ea colenda esse existimabant — quid argumentis Dei existentiam firmari oportebat? Interdum quidem sunt qui ad ideam Dei hominibus insitam et innatam delegent[1]), aut ex operibus et quae singula ordinet providentia, Deum cognosci et intelligi dicant[2]) — at tales conatus divinam essentiam notionibus illustrandi, nonnisi occasio fuerit in apo-

---

1) cf. Just. Apol. II, c. 6, p. 44 E.

2) Theoph. ad Autol. I, 5: *καθάπερ γὰρ ψυχὴ ἐν ἀνθρώπῳ οὐ βλέπεται, ἀόρατος οὖσα ἀνθρώποις, διὰ δὲ τῆς κινήσεως τοῦ σώματος νοεῖται ἡ ψυχή· οὕτως ἔχοι ἂν καὶ τὸν θεὸν μὴ δύνασθαι ὁραθῆναι ὑπὸ ὀφθαλμῶν ἀνθρωπίνων, διὰ δὲ τῆς προνοίας καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ βλέπεται καὶ νοεῖται κτλ.* Athenag. Suppl. c. 4 ed. Otto. 5 C ed. Mor. Tat. Or. ad Graec. c. 4 p. 144 D: *τοῦτον (τὸν θεόν) διὰ τῆς ποιήσεως αὐτοῦ ἴσμεν καὶ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ τὸ ἀόρατον τοῖς ποιήμασι καταλαμβανόμεθα.*

logetarum scriptis reperiuntur, ubi de ratione, quae sit inter Deum et mundum, aut de ea, qua facta sit creatio et revelatio Dei inter homines, quaerunt. Praeterea qui Christianis a paganis vitio verti solebat, atheismus, et christianae rei defensio, qua crimen illud dissolvebant et in ipsos paganos retorquebant, occasionem praebebant apologetis, ut quid de divina essentia statuendum sit, planius exponerent [1]).

Qui vero quamquam una ex parte saepissime repetunt, quod integra christiana conscientia sane negare non potest, per revelationem in Christo factam hominibus omnem Dei cognitionem datam esse necessariam, qua salutis participes essent, altera ex parte tamen eo diligentius in illa perseverabant sententia, Deum, qualis per se sit, sensu et cogitatione hominum comprehendi non posse. Quae quidem Dei maiestas supra omnem hominum cogitationem excelsa quum christiana conscientia contineatur et ab ea postulata sit [2]), illa tamen, qua notionibus eam exprimebant apologetae, ratio, nonnisi antiqua philosophia comparata, intelligi potest; ubique enim imprimis Platonicarum de Deo doctrinarum et Philonis theologiae vis atque auctoritas apparet. — Deum esse inenarrabilem nomenque non habere, doctrina est, qua omnes fere consentiunt apologetae [3]. Nomina enim dari dicunt ad designationem ac distinctionem subiectarum rerum, quae multae et variae sint; neminem vero praeexstitisse, qui Deo nomen exposuisset, neque Deum se ipsum nominandum censere, quum unus et unicus sit. Quocumque enim nomine appelletur Deus ingenitus, antiquiorem Deo habere eum qui nomen imposuerit [4]). Imo Iustinus his sententiis addit, perditam insaniam insanire, si quis audeat dicere Deo esse nomen [5]). Itaque discernendum esse ait vir doctus inter nomina (*ὀνόματα*) et appellationes (*προςρήσεις*). Pater et Deus et conditor et dominus et herus non nomina sunt, sed ex beneficiis et operibus appellationes [6]). Quibus simillima apud Theophilum leguntur: Dei forma, dicit, ineffabilis est, inexplicabilis, nec corporeis oculis cerni potest, neque altitudo cogitari, neque eius robur in comparationem vocari, nec sapientia assimilari, neque eius benignitas imitabilis, nec beneficentia enarrabilis. Homo quum in solem, exiguum illud elementum, oculos defigere non possit

1) cf. Semisch l. l. p. II. p. 247 sqq. Otto l. l. p. 125 sqq. Hagenbach, „Dogmengesch.“ p. 73 sqq. Daniel l. c. p. 142 sqq.

2) cf. ut alios omittam „Nitzsch“ System d. chr. Lehre ed. 6, p. 136 sqq.

3) Tat. Or. ad Gr. c. 4, p. 145 A: *ἀλλ' οὐδὲ τὸν ἀνώμαστον θεὸν δωροδοκήτεον.* Dial. c. Tr. c. 127, p. 357 B: *τὸν πατέρα καὶ ἄῤῥητον κύριον.* Just. Apol. I, c. 61, p. 94: *ὄνομα γὰρ τῷ ἀῤῥήτῳ θεῷ οὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν.* c. 63, p. 95 C: *τὸν ἀνώμαστον θεόν.*

4) Apol. II, c. 6, p. 44 D.

5) Apol. I, c. 61, p. 94 D.

6) Apol. II, c. 6.

ob calorem et vim exsuperantem, quanto magis Dei gloriam quae non est enarrabilis (*δόξῃ ἀνεκφράστῳ οὔσῃ*) mortalis homo intueri non potest [1]).

Quas quidem sententias mere platonicas esse saepissime asseverabant viri docti, omnes fere, ut sententiam melius defenderent, locum qui apud Iustinum in Dialogo legitur, afferentes (c. 4, p. 221 C. D.), ubi Platonis de Deo laudatur doctrina, divinum numen supra omnem essentiam esse non enarrabile neque explicabile [2]). At quod ad hunc ex Dialogo cum Tryphone laudatum locum attinet, Platonismi Iustiniani argumentum eum esse, nobis non videtur. Nam ut recte iam Semischius [3]) observavit, hoc loco non loquitur Iustinus christianus, sed Iustinus paganus. Ad quae accedit quod nusquam alibi Martyr Deum prae ipsa *οὐσίᾳ* longe eminere dicit, sed Deum substantiam esse apertis verbis docet [4]), imo interdum, sed sacrorum librorum verba secutus, de regione Dei, qua eum manere dicit, loqui videtur [5]).

Sed licet missum facias hunc locum, quomodo vim, quam prae ceteris disciplinis philosophicis Philonis theologia et quum is ipse doctrinam suam ad systema revocatam magnam partem platonicae philosophiae debeat, Platonis quoque sententiae ad doctrinas apologetarum excolendas habuerint, negare velis? Eodem fere loquendi genere quo apologetae Philo eiusque magister Plato duplicem in modum de Deo cognoscendo locuti sunt, tum Deum neque notionibus, neque nominibus ullis attingi posse urgentes, tum eum prorsus cognosci non posse negantes. Nam Plato quamquam interdum dicit, boni vel Dei ideam arduam hominibus esse intellectu, sed intelligi posse, etsi intellecta non omnibus praedicari possit, attamen aliis locis, mortalem hominem vera cognoscendi facultate carere, eumque cum Deo comparatum nihil esse nisi Dei oblectamentum lusumque contendit. Philo etiam cui Deus omni laude, omni honore, ipsoque bono longe superior visus est, alibi tamen hominem posse divinum cognoscere censet [6]). Itaque quum Cohortationis ad Graecos auctor, ut doctrinam qua Deum nullo proprio

---

1) Theoph. ad Autol. I, 3 et 5.

2) *Φησὶ γὰρ Πλάτων, ἣν δ᾽ ἐγὼ αὐτὸ τοιοῦτον εἶναι τὸ τοῦ νοῦ ὄμμα — — ψυχαῖς ἐγγινόμενον διὰ τὸ συγγενὲς καὶ ἔρωτι τοῦ ἰδέσθαι.* Locus desumtus est ex Plat. de republ. lib. VI, p. 509 B. cf. Otto Corpus Apologett. Tom. I, 2, p. 18, n. 3, 4, 5. Baumg.-Crusius l. l. p. 926. Ackermann l. l. p. 44 sqq.

3) l. c. p. 252. Hagenbach l. l. 4. ed. p. 78 n.

4) Dial. c. Tryph. c. 128, p. 358 C: *εἰπὼν τὴν δύναμιν ταύτην γεγεννῆσθαι ἀπὸ τοῦ πατρός — — οὐ κατ᾽ ἀποτομήν, ὡς ἀπομεριζομένης τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, ὁποῖα τὰ ἄλλα πάντα μεριζόμενα καὶ τεμνόμενα οὐ τὰ αὐτά ἐστιν ἃ καὶ πρὶν τμηθῆναι.*

5) cf. Dial. c. Tr. c. 127, p. 357 A. ib. c. 60 p. 283 B. c. 56, p. 275 A: *τοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἀεὶ μένοντος*, alibi.

6) Ritter „Gesch. d. Philos.“ II, 288 sqq. IV, 440 sqq. Ritter et Preller „Hist. philos. gr. et rom. ex fontium locis contexta“ ed. 2. p. 251 sq. p. 556 sqq.

nomine appellari posse docebat, argumentis ex sacris libris sumptis confirmet, eodem quo theologia alexandrina utitur loco, eadem huius loci interpretatione, quae propria erat Alexandrinorum. His enim saepissime *τὸ ὄν* appellatur, secundum Exod. III, 14, ubi verba אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה graecis *ἐγώ εἰμι ὁ ὤν* vertuntur. Ait enim: neutiquam nominis cuiusdam mentionem facit Deus, quum Mosen ad Hebraeos mitteret, sed per quoddam participium unum et solum Deum se esse arcane docet. Ego enim, inquit, sum existens ille, opponens se ipsum non exsistentibus, ut qui prius decepti fuerunt intelligant se non iis qui existunt, sed iis qui non existunt adhaesisse. Mosi vero dixit: Ego sum existens ille, ut per participium existens Dei existentis et non existentium discrimen doceret [1]). Idemque auctor similitudinem Platonicae de Deo doctrinae et theologiae, quam ipse suam fecerat, agnoscit, quum intra Christianorum et Platonis de Dei natura doctrinam solum articulum differre ait. Mosen enim „exsistens ille" (*ὁ ὤν*) dixisse, Platonem vero „existens illud" (*τὸ ὄν*): quas quidem de Deo sententias Platonem in Aegypto didicisse dicit, magistri vero Mosis nominis apud Athenienses mentionem facere, non tutum esse duxisse, et propterea quod praeclare ab eo dictum esset, non tamquam a Mose acceptum, sed ut suam ipsius sententiam exposuisse [2]). — Quî porro nisi ex Platonis et Philonis disciplinis tot quae apologetis in deliciis sunt et quibus abundant, dictiones explanari possunt? Quarum in numerum reponenda sunt illa quae iterum atque iterum dicunt, Deum esse ingenitum (*ἀγέννητον*) et animi motibus vacuum (*ἀπαθῆ*) [3]) et quia sit ingenitus, propterea esse Deum [4]); aut qui Deum omnium vel patrem universitatis eum nominent (*ὁ πάντων πατήρ, θεὸς τῶν παντων πατὴρ καὶ δημιουργός πατὴρ τῶν ὅλων,* [5]), aut qui Deum ut immutabilem et aeternum naturae mutabili

1) Coh. ad Graec. c. 21, p. 19 CDE. Quibuscum conferas quae apud Philonem leguntur: Quod Det. Pot. Insid. 44, p. 222 (Ritter et Preller l. l. p. 554): *τῶν γὰρ ἀρετῶν ἡ μὲν θεοῦ πρὸς ἀλήθειάν ἐστι, κατὰ τὸ εἶναι συνεστῶσα· ἐπεὶ καὶ ὁ θεὸς μόνος ἐν τῷ εἶναι ὑφέστηκεν, οὗ χάριν ἀναγκαίως ἐρεῖ περὶ αὐτοῦ, Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ὡς τῶν μετ' αὐτὸν οὐκ ὄντων κατὰ τὸ εἶναι, δόξῃ δὲ μόνον ὑφεστάναι νομιζομένων.*

2) Coh. ad Graec. c. 21 sq. p. 20 DE ubi de ipso illo Exodi loco (III, 14) disputatur. De Platonis loco ab auctore Cohortationis laudato v. Otto „Corpus Apologett. Tom. III, p. 74, n. 3.

3) Apol. I, c. 25, 69 B. ib. c. 14, p. 61 B. Apol. II, c. 6, 44 D; c. 12, p. 50 C; c. 13, 51 D. Theoph. ad Autol. I, c. 4, p. 340 ed. Mar.

4) Dial. c. Tr. c. 5.

5) Just. Apol. I, c. 26, p. 70 B. Apol. II, c. 6, p. 44 D. Apol. I, c. 32. Apol. I, 8 p. 57 A. Dial. c. Tr. c. 105. Theoph. ad Autol. II, c. 22, p. 365: *ὁ μὲν θεὸς καὶ πατὴρ τῶν ὅλων ἀχώρητός ἐστι, καὶ ἐν τόπῳ οὐχ εὑρίσκεται.* cf. II. 34, p. 373. id. III, 9, p. 386: *ἡμεῖς δὲ καὶ θεὸν ὁμολογοῦμεν ἀλλ' ἕνα τὸν κτίστην καὶ ποιητὴν καὶ δημιουργὸν τοῦδε τοῦ παντός.*

opponant (τὸν ἄτρεπτον καὶ ἀεὶ ὄντα θεόν)[1], aut si hic universorum pater, ut a λόγῳ et a filio distinguatur, qui vērus sit Deus (ὁ ὄντως θεός) nominetur[2]. Eodemque modo quo Iustinum inter προσρήσεις et ὀνόματα distinxisse diximus, etiam Philo distinguit[3], qualis videtur Platonem secutus, qui primum inter praecipuas orationis partes recte distinxisse dicitur, quum ὄνομα dicat quodcumque nomine suo propriam naturam indicet, ῥῆμα vero id quo de actionibus nominis aliquid enuntietur[4]. Ita et Theophilus, ubi Deum altissimum et omnipotentem non solum ubique esse dicit, sed etiam omnia inspicere, omnia audire, nedum loco contineri, definitione utitur, quae propria est Philonis et cum illo philosopho ad verbum consentit, docens, Deum loco non circumscribi, sed ipsum esse omnium locum (θεὸς γὰρ οὐ χωρεῖται, ἀλλα αὐτός ἐστιν τόπος τῶν ὅλων)[5]. — Itaque qui haec apologetarum de Deo, qualis per se sit, placita a nobis allata, diligenter secum reputaverit, iam dubitare non poterit, ad hasce doctrinas excolendas antiquam philosophiam imprimis Platonis et Philonis rationem maximam vim habuisse.

Sed apologetarum de λόγῳ doctrinam illustrare conantes, artissime coniunctam cum illa de Deo quaestione, clarius etiam apparebit ethnica sentiendi et cogitandi ratio quantam vim ad apologetarum sententias habuerit. In cuius doctrinae variis formis quas tot doctorum virorum conatibus induerat, expressa cernitur imago iuvenilis indagationis et investigationis, quae primis ecclesiae temporibus propriae erant industriae eius in dogmatibus excolendis versantis. Eidem philosophandi rationi eclecticae in his apologetarum disciplinis occurremus, cui et philosophi labantis illius antiquae philosophiae aetatis dediti erant. Nam ne prisca quidem Orientis sapientia neglecta diversarum scholarum placita et inter se contrariae rationes commiscebantur, ut ad altiorem intellectum revocarentur.

Attamen maxima inter veteris ecclesiae doctores et philosophos novae revelationis expertes, differentia occurrit, quum christianorum apologetarum disciplinis firmum et solidum fundamentum esset, philosophi contra a labantibus fundamentis cogitationum aedificium inchoarent. Itaque omnia illa prioris eruditionis elementa, quibus apologetae utebantur, ut christianam sentiendi et cogitandi rationem arte exprime-

---

1) Just. Apol. I, c. 13, p. 60 E.

2) Apol. I, c. 13. Coh. ad Graec. c. 20, p. 19 B. c. 17, p. 17 D. Theoph. Ad Autol. II, 3, p. 349; II. 8 p. 354.

3) De confus. ling. p. 357.

4) cf. Plat. Theaet. p. 189 E. Ritter et Preller l. l. p. 236 sqq., 238 n. b).

5) Ad Autol. II, 3 p. 349. De Philonis doctrina cf. Dähne „Geschichtl. Darstellung der jüd. alexand. Rel. philos. Tom. I, p. 281 sqq.

rent, nonnisi materia sunt, quam a nova vita, cuius principium et caussa Christus erat, assumi volebant. Si quae ethnicae cogitandi rationis, ab illo christiano principio non superatae, vestigia inveniantur, haec ex humana natura, non repente sed pedetentim demum renovanda recte deducemus. Magis vero, quam in aliis sententiis excolendis veteri ecclesiae doctrinam de *λόγῳ* tractanti occasio erat annectendi ad philosophorum placita, quum haec logi notio ab omnibus fere disciplinis usu recepta et varie iam explanata esset, ipsumque de Christo evangelium ab illa ordiretur.

Apologetae ubi de *λόγου* doctrina disputant, libenter quidem ad illam tuendam et confirmandam, librorum sacrorum auctoritate utuntur, ipsum *λόγον* cum *Σοφίᾳ* de qua in libris Proverbiorum et Sapientiae legimus, comparantes [1], aut respicientes ad biblicorum scriptorum dicendi usum, quo *δόξαν κυρίου,* vel *υἱόν,* nunc *ἄγγελον* vel *ἀρχιστράτηγον* dicant [2], aut ad prologum evangelii Joannis delegantes, cuius auctorem Theophilus iam in eorum numero censet, qui sancto Spiritu afflati docebant, cuius evangelium vero ad libros sacros pertineat [3]; quodque etiam Justinum cognitum habuisse negari non potest, ita ut et huius logologia ad evangelii Ioannei prologum referenda sit [4]. Itaque quamvis nonnullis locis haec notio ut illustretur, cum Platonis [5] aut Stoicorum [6] placitis coniungitur, tamen quae apud illos philosophos cum christianis doctrinis consentanea et affinia ab apologetis inveniantur, a Mose et a prophetis mutuata esse dicuntur [7], in qua sententia exponenda apologetae cum Philone et aliis alexandrinis philosophis consentiunt, qui eadem ratione quicquid ipsis ex ceterarum gentium philosóphia ac literis probaretur, ad Mosaicam legislationem referebant, indeque ortum esse putabant [8].

Verum tamen etiamsi principia doctrinae de *λόγῳ* ex Scriptura Sacra duxerint apologetae, si rem accuratius perpenderimus, clare apparebit, illos viros in doctrina sua subtilius excolenda atque uberius disserenda pendere ex philosophorum disciplinis.

Iam quum exponunt, quomodo logos a patre prodierit, eorum ex-

---

1) Just. Dial. c. Tr. c. 62, p. 285 E. Theoph. ad Autol. II, 14; Athenag. Leg. c. 10, p. 46 D et p. 48 A ed. Otto c. 18, p. 84 D. Tat. Or. ad Gr. c. 5.

2) Just. Dial. c. Tr. c. 61, p. 284 AB.

3) Ad Autol. II, 22: *ὅθεν διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ ἅγιαι γραφαὶ καὶ πάντες οἱ πνευματοφόροι, ἐξ ὧν ὁ Ἰωάννης λέγει κτλ.*

4) cf. Otto de Just. scr. et doctr. p. 85, n. 5, p. 121, n. 30.

5) Just. Apol. I, c. 59, p. 92 DE.

6) Apol. II, c. 8, p. 46 BC.

7) Apol. I, c. 59; c. 60, p. 93 ABC.

8) cf. Ritter et Preller l. l. p. 551 nd.

positio affert nobis memoriam Philonis. Iustinum, etsi primus Deum filium progenuisse[1]) dicit, hanc tamen generationem, qua filius ortus sit, sicut et alii apologetae non aliter atque imaginibus, ex emanationis ratione desumptis illustrare saepissime iam commemoratum, et quod ad Iustinum tam accurate et subtiliter explanatum est a viris doctis, ut haec res nihil habeat dubitationis[2]).

Nam ut appareat patrem illa generatione *τοῦ λόγου* neutiquam imminutum esse, nec quidquam inde mutationis aut detrimenti cepisse, id quod in nobis sermonem proferentibus fieri videmus, cum illa generatione comparat Iustinus. Deus enim ante omnes res creatas principium genuit ex se ipso, virtutem quamdam rationalem, quae etiam gloria domini a spiritu sancto vocatur, modo filius, modo sapientia, modo angelus, modo deus, modo dominus et logos — quae quidem generatio talis est, qualem etiam in nobis fieri videmus: Sermonem enim gignimus, non tamen cum abscissione, ita ut ille sermo qui nobis inest cum damno quodam nostro dum prodit imminuatur. Quale est etiam quod videmus in igne alium ignem fieri, non imminui illum unde accensus est, sed in eodem manere statu, et qui accensus est, etiam ipse existens apparet, neque illum imminuit, unde accensus est[3]). Quae quum ita sint, haec tamen rationalis virtus, ex patre emanata, non ita habenda est, ut *ἄτμητος* et *ἀχώριστος* sit, i. e. ut non possit abscindi aut separari a patre, sed a genitore numero diversa est (*ἀριθμῷ ἕτερόν τί ἐστι*) et propriam habet essentiam. Quare refellendam esse ait Iustinus opinionem eorum, qui illum logon comparari posse putent cum radiis solis; eumque a patre seiungi non posse contendant, quemadmodum lux solis in terra abscindi et separari nequeat a sole, qui sit in coelo; sed patrem, quum velit, facere ut virtus ipsius prosiliat, et quum velit rursus illam reflectere posse ad se ipsum. Sicut angeli sempiterni sunt, neque in id unde exstiterunt dissolvuntur, ita etiam illa *δύναμις*, quae et Deus vocata est, manet, neque rursus in patrem redire potest[4]). Qui vero quamquam alius sit atque ille omnium creator, non tamen a patre prorsus alienatus, sed sententia (*γνώμῃ*) coniunctissimus est cum patre[5]). Itaque Iustinus hunc Dei logon vel virtutem, solum proprie filium Deo genitum esse dicit[6]), ac

1) De Tryph. c. 62 p. 285 c. 61 p. 284 c. 129 p. 359. cf. Dorner Entwickelungsgeschichte d. L. v. d. P. Ch. I, 2 p. 429.

2) Duncker „Die Logoslehre Justin's des Martyrers". Goett. 1848.

3) Dial. c. Tr. c. 61 p. 284 ABC c. 128 p. 358 CD.

4) D. c. Tr. c. 128 p. 358 CD.

5) ib. c. 56 p. 276 E.

6) Apol. I, c. 23 p. 68 C. Apol. II, c. 6 p. 44 D.: *ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱός.*

saepissime nomen et dignitatem Dei ei apponit, etiam in hac definitione emanationis rationem secutus [1]). Quia quae a prophetis dicta sint non intellexerint Iudaei, propterea eos solius et ingeniti et inenarrabilis Dei filium Deum esse negare. Attamen ne monotheismum abnegare videretur, eandem eum rationem inire videmus ac Philonem. Nam hic quidem logos, quamquam ipse Deus appellatur, non tamen idem est qui pater, sed ut Philonis verbo utar *δεύτερος θεός* [2]), cuius dominus alter ille est, qui in coelis versatur [3]), ita ut ipse sit *θεὸς καὶ κύριος ἕτερος ὑπὸ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων* [4]), qui subiectus est patri dominoque et voluntati eius ministrat [5]), nihilque umquam fecit nisi quod mundi creator, quem supra alius nullus est Deus, eum voluit et facere et dicere [6]). Nam inenarrabilis pater et omnium dominus neque in locum aliquem venit umquam neque ambulat neque dormit neque surgit, sed in regione sua, quaecunque ea est, manet, omnia cernens et audiens, non oculis neque auribus sed qualitate quadam inenarrabili; omnia videt, omnia cognoscit; neque movetur neque ullo loco quin ne toto quidem mundo comprehendi potest, quippe qui vel ex aeterno fuisset priusquam mundus fieret, nemini umquam visus, neminem praesens allocutus [7]). Is usus est logo qui quasi ministret ipsius voluntati; omnesque in veteris Testamenti libris theophaniae non de summo Deo intelligendae sed ad ministrum eius referendae sunt; hic modo ignis specie visus est, modo etiam imaginis corporascentis [8]), neque Abraam igitur neque Isaac neque Jacob neque omnino omnium ullus hominum illum ut ipsius Christi patrem et dominum non enarrabilem vidit, sed eum qui secundum ipsius voluntatem Deus est, filius et angelus [9]). Itaque omnia quae Deus in mundo effici vult, per hunc ministrum fieri iubet, cuius labore ex subiectis rebus conditus est universus mundus [10]); eoque

---

1) Duncker l. c. p. 16. Just. Dial. c. Tr. c. 58 p. 281 D.: *θεὸς καλεῖται καὶ θεός ἐστι καὶ ἔσται.* cf. c. 126 p. 355 CD.

2) V. Ritter et Preller l. c. p. 564 n. e. Just. Apol. I, c. 13 p. 60 E. sq.: *υἱὸν αὐτοῦ τοῦ ὄντως θεοῦ μαθόντες καὶ ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ ἔχοντες — — ἐνταῦθα γὰρ μανίαν ἡμῶν καταφαίνονται δευτέραν χώραν μετὰ τὸν ἄτρεπτον καὶ ἀεὶ ὄντα θεὸν καὶ γεννήτορα τῶν ἁπάντων ἀνθρώπῳ σταυρωθέντι διδόναι ἡμᾶς λέγοντες ἀγνοοῦντες τὸ ἐν τούτῳ μυστήριον.*

3) Dial. c. Tr. c. 129 p. 358 D.

4) ib. c. 56 p. 275 B.

5) ib. c. 126 p. 356 B.: *δι' ὧν ἀποδέδεικται ὑπὸ τῷ πατρὶ καὶ κυρίῳ τεταγμένος καὶ ὑπηρετῶν τῇ βουλῇ αὐτοῦ κτλ.*

6) Dial. c. Tr. c. 56 p. 276 D.

7) ib. c. 127 p. 357 A. c. 56 p. 275 A.

8) Apol. I, c. 63 p. 96 A.

9) Dial. c. Tr. c. 127 p. 357 A. Apol. I, c. 62 p. 95 B.

10) Apol. I, c. 59 p. 92 D.

utitur pater, quo res coelestes apud homines gerat, et efficiat quaecunque providentia sua statuerit.

Quas quidem doctrinas quam propinqua arctaque cognatione imprimis cum Philonis ratione ac disciplina contineantur, vix quemquam qui Nostri placita cum veterum philosophorum sententiis contulerit, fugiet. Eadem vero vis, quam haec eclectica philosophia ad Justini doctrinam de logo excolendam habuit, etiam in aliorum apologetarum disciplinis reperitur.

Justini instar Tatianus quoque ab emanationis ratione proficiscitur, in exponenda illa inter patrem et logon ratione. Itaque iisdem illis utitur similitudinibus, quibus et antecessorem et magistrum eius usum fuisse, supra commemoravimus. Nam sicut fax accensa eius unde accenditur non minuit flammam, ita etiam pater suam sibi integram servavit *λογικὴν δύναμιν,* quum logos ex illa prosiluit (*προπηδᾷ*) [1]. Hac enim voce Tatianus utitur, ubi Justinus ut eandem rem significet, de generatione et procreatione quadam loquitur, vocibus *προβάλλεσθαι, γεννᾶσθαι, περιέρχεσθαι* usus. Ut vero integritatem patris, quia in ipsa re cum Justino consentit, certe aliis atque ille denotet notionibus, logon per participationem (*κατὰ μερισμόν*) non per resectionem (*οὐ κατὰ ἀποκοπήν*) natum esse docet, quum quod resectum sit, a primo separetur, quod vero particeps factum sit, assumtâ oeconomiae electione, non egenum reddat eum ex quo desumtum sit [2]. Itaque quatenus logos nondum prodierat et mundus nondum actû erat extra ipsum, Deus, *ὑπόστασις* universi, sive is per quem omnia subsistunt, solus erat, quatenus autem Deus, cui omnis potentia est, omnes res visibiles et invisibiles in se complectebatur, mundusque una cum eo erat potentialiter per illam rationalem potentiam (*λογικὴν δύναμιν*) quae in ipso erat; per quam et ipse logos in Deo exstitit.

In quibus sententiis Tatianum et quocum consentit Justinum, eandem rationem attingere et exprimere videmus, quam Theophilum, qui et ipse in horum virorum ab emanationis ratione profectorum numero habendus est. Ita enim illam verbi procreationem iisdem fere quibus ceteri apologetae usus verbis circumscribit: Logos semper exstitit cor-

1) Or. c. Gr. c. 5 ed. Otto; p. 145 ABC. ed. Mor.

2) *τὸ γὰρ ἀποτμηθὲν τοῦ πρώτου κεχώρισται, τὸ δὲ μερισθὲν οἰκονομίας τὴν αἵρεσιν προςλαβὸν οὐκ ἐνδεᾶ τὸν ὅθεν εἴληπται πεποίηκεν.* c. 5 p. 145 B. Videsis quae ad huius loci difficultates enucleandas attulerunt: Otto: Ed. Apoll. tom. VI, p. 24 sqq. Daniel l. l. p. 157 sqq. Baur l. l. p. 178 n. 21 ita interpretatus est: Das Abgeschnittene ist von der Substanz getrennt, das als Theil Unterschiedene aber, das durch freie Selbstbestimmung die Oekonomie, die Vielheit in der Einheit, hinzunimmt, verursacht in dem aus welchem es ist keinen Mangel. Es ist also ein Unterschied in der Einheit aber ein solcher welcher innerhalb der Substanz Gottes bleibt.

dique Dei insitus fuit (*τὸν ὄντα διαπαντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ θεοῦ*). Antequam enim quidquam fieret, eo utebatur quasi consiliario, quippe quum eius mens et prudentia sit; sin vero ea quae statuerat, facere voluit Deus, hunc logum genuit, prolatitium, primogenitum omnis creaturae (*τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως* [1])). Quibus ne patrem imminutum esse dicat, addit: *οὐ κενωθεὶς αὐτὸς τοῦ λόγου, ἀλλὰ λόγον γεννήσας, καὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ διαπαντὸς ὁμιλῶν*. Illam vero inter *τὸν λόγον ἐνδιάθετον* et *λόγον προφορικόν* discretionem desumptam esse ex Philonis consuetudine loquendi [2]) et quae apud Philonem de humana cogitatione et sermone dici solerent, a Theophilo translata esse ad verbum Dei duplicemque logi exsistentiam, quis est quin videat? Quae discretio eadem est, cui etiam apud Iustinum occurrimus, ubi dicit, logon una cum Deo fuisse (*συνῆν τῷ πατρί*) tamquam eius mens, ante mundum creatum genitum autem ex patris voluntate esse.

Athenagoras etsi non tam aperte quam alii apologetae emanationis rationem ad excolendam doctrinam adhibebat, non tamen prorsus silet de ea. Qui quum doceat, filium esse primam patris progeniem, statim addit, eum non factum esse, nam Deum qui sit aeterna mens habuisse ipsum in se ipso logon utpote ex aeterno tempore *λογικός*, sed prodiisse eum, ut omnium materialium rerum, quae informis naturae terraeque inertis instar iacebant, idea et vix efficax esset partibus crassioribus commixtis cum levioribus [3]). Itaque filius Dei patris est logos quia omnia logo convenienter, sive ad exemplar in eo descriptum facta sunt, sicut omnia per eum. Quibus expositis logon non quod mundus fieret, ex patre prodiisse apparet [4]), sed ut per illum idea mundi, qualis in Deo erat, ad effectum adduceretur.

---

1) Ad Autol. II, c. 22 p. 365 BC.

2) cf. Ritter et Preller l. l. p. 566. Vit. Mos. III, 13 p. 154: *διττὸς γὰρ ὁ λόγος ἔν τε τῷ παντὶ καὶ ἐν ἀνθρώπου φύσει — — — ἐν ἀνθρώπῳ δὲ ὁ μέν ἐστιν ἐνδιάθετος, ὁ δὲ προφορικός, καὶ ὁ μὲν οἷά τις πηγή, ὁ δὲ γεγωνὸς ἀπ᾽ ἐκείνου ῥέων.* Quam distinctionem a Stoicis repetendam esse, monuit Ritterus. Cf. praeterea Ritter Gesch. d. Philos. IV, 454 sqq.

3) *Ἀλλ᾽ ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ πρὸς αὐτοῦ γὰρ καὶ δι᾽ αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. Ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν πατρὶ καὶ πατρὸς ἐν υἱῷ ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος, νοῦς καὶ λόγος τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Εἰ δὲ δι᾽ ὑπερβολὴν συνέσεως σκοπεῖν ὑμῖν ἔπεισιν, ὁ παῖς τί βούλεται, ἐρῶ διὰ βραχέων πρῶτον γέννημα εἶναι τῷ πατρί, οὐχ ὡς γενόμενον (ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ θεός, νοῦς ἀΐδιος ὤν, εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὤν) ἀλλ᾽ ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων, ἀποίου φύσεως καὶ γῆς ἀχρείας ὑποκειμένων δίκην, μεμιγμένων τῶν παχυμερεστέρων πρὸς τὰ κουφότερα ἐπ᾽ αὐτοῖς, ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ εἶναι προελθών.* Suppl. pro Chr. (ed. Otto) c. 10 p. 46.

4) cf. Dorner l. l. p. 441. Baur l. l. p. 170 sqq.

Sed quum Athenagoras nusquam apertis verbis de hac re disserat nihilque amplius dicat de patris cum filio relatione nisi patrem et filium esse unum idemque, et quum pater sit in filio, filius in patre, unitate et potentia spiritûs, filium Dei esse mentem et logon patris, in incerto relinquimur, quomodo accuratius illam relationem patris cum logo cogitemus. Quum porro nusquam certum quoddam tempus indicet, quo filius ex patre prodierit, neque doceat, quomodo hypostasin filii cogitaverit, spiritum sanctum vero in prophetis efficacem, effluentiam Dei esse dicat, emanantem et redeuntem velut radium lucis [1]), nescio an inde recte intelligi possit, utrum rationem inter logon et patrem simili quo inter spiritum sanctum et patrem crediderit modo, necne.

Cui similis dubitatio est nobis, Tatiani doctrinam de Spiritu Sancto, cuius mentionem postea plenius faciemus, accuratius exquirere conantibus. Spiritum Sanctum quod e locis quibusdam obiter tantum spectatis Tatianum statuisse, pro certo habueris, plane idem quod *λόγον* non esse, sed *τὸν διάκονον τοῦ πεπονθότος θεοῦ* [2]), *πρεσβεῦον πνεῦμα* [3]) nominatum, bene distingui a *λόγῳ*, satis iam a viris doctis demonstratum est. Idque ex doctrina Tatiani accuratius explanata luce clarius patescit, Spiritum Sanctum Deo perfecto ita subordinari, ut Spiritus natura divinus habeatur, quae medias quasdam inter Deum mundumque materialem occupet partes, re vera autem divinae sit essentiae et a mundo materiali prorsus discrepet [4]). Quare licet nusquam disserat de ratione, qua spiritus Dei summum attingat Deum, de utriusque inter se relatione, attamen ubi aliquoties Spiritum e *λόγῳ* pendere dicat, illam inter Deum spiritumque divinum relationem emanationis rationi analogam eum cogitasse, non est quod dubitemus.

E quibus doctrinis quas tractavimus, quum iam elucescat, quantam vim imprimis philosophia alexandrina ad excolendas apologetarum disciplinas habuerit, eiusdem auctoritatis vestigia in duabus aliis quas profitebantur doctrinis, persequi licet, in illis scilicet quae de angelis mundique creatione agunt.

Quod attinet ad illa de angelis decreta quae praeter pauca quaedam magno concentu et consensu ab apologetis exposita sunt, diu iam

---

1) *καίτοι καὶ αὐτὸ τὸ ἐνεργοῦν τοῖς ἐκφωνοῦσι προφητικῶς ἅγιον πνεῦμα ἀπόῤῥοιαν εἶναι φάμεν τοῦ θεοῦ, ἀποῤῥέον καὶ ἐπαναφερόμενον ὡς ἀκτῖνα ἡλίου.* — Suppl. pro Chr. c. 10 p. 48. cf. c. 24 p. 124: *ἀπόῤῥοια ὡς φῶς ἀπὸ πυρὸς τὸ πνεῦμα.* — Heinrich Ritter „Die Emanationslehre im Uebergange aus der alterth. in d. chr. Denkweise". Goett. 1847. p. 5.

2) or. a Gr. c. 13 p. 153 A.

3) ib. c. 15.

4) cf. Duncker „Apologett. sec. saec. de essential. nat. hum. partibus placita". Partic. II. Goett. 1850. p. 8.

observarunt viri docti, illa ex schola Platonis sumpta esse, aut quod alii maluerunt, cum Philonis placitis artissime cohaerere. Justinus quidem sententiam illam tum temporis haudquaquam novam, angelos *δυνάμεις* esse, modo e Deo prosilientes, modo in eum revertentes, reprobat, docens, semper manere eos, neque in id unde exstiterint, dissolvi [1]). Quocum consentit Athenagoras, qui angelos ab initio insontes atque immortales factos et creatoris lege in perpetuum permanentes opposuit hominibus, quorum quidem animas immutabilem inde ab origine habere et aeternam naturam docet, corpora contra ex immutatione quadam incorruptionem assequi [2]). Justinus etsi corporum angelicorum substantiam hominum corporibus non dissimillimam statuisse videatur [3]), qua in re a Tatiano et aliis veteris ecclesiae discrepat doctoribus, qui angelorum naturam non nisi spiritualem esse compaginem ut ignis vel aëris, statuendum putabant [4]); angelis tamen in coelis principibus a Deo [5]) ordinatis saepiusque *δυνάμεις* vocatis [6]), a summo Deo hominum rerumque curam singularem tributam esse si dicit [7]), quis est, qui in eiusmodi sententiis Platonicum cognosci neget? Eadem vero quae Justini, Athenagorae est sententia, cuius item opinio a placitis Platonis haud multum discrepat, quum dicit eam esse angelorum constitutionem, ut res a Deo creatas provideant, ita quidem, ut universam Deus et communem omnium habeat providentiam, qualis partes attingat instituti ad hoc munus angeli [8]). Itaque angeli et ministri dicuntur, quippe quos creator et opifex mundi Deus per logon suum distribuerit et ordinaverit, ut qui in elementis, coelis, mundo eiusque rebus rerumque in temperatione versentur [9]). Quibus expositis porro si id adiungimus, quod Athenagoras, ut crimen atheismi, cuius Christiani accusabantur, diluat, ad

---

1) Dial. c. Tr. c. 128 p. 358 BC.

2) De resurrect. mort. c. 15 ed. Otto p. 252 — — — *οὔτ' ἐπὶ τῶν καθαρῶς ἀφθάρτων καὶ ἀθανάτων εὕροι τις ἂν ἰσάζουσαν τὴν διαμονήν, τῷ μηδὲ τὰς οὐσίας τῶν κρειττόνων συνεξιοῦσθαι ταῖς καθ' ὑπόβασιν διαφερούσαις, οὔτ' ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων τὴν ὁμαλὴν ἐκείνην τὴν ἀμετάβλητον ἐπιζητεῖν ἄξιον, ἅτε δὴ τῶν μὲν ἐξ ἀρχῆς γενομένων ἀθανάτων καὶ διαμενόντων μόνῃ τῇ γνώμῃ τοῦ ποιήσαντος ἀτελευτήτως, τῶν δὲ ἀνθρώπων κατὰ μὲν τὴν ψυχὴν ἀπὸ γενέσεως ἐχόντων τὴν ἀμετάβλητον διαμονήν, κατὰ δὲ τὸ σῶμα προςλαμβανόντων ἐκ μεταβολῆς τὴν ἀφθαρσίαν.*

3) cf. Semisch l. l. p. 343 sq.

4) Tat. Or. ad Gr. c. 15 p. 70: *πνευματικὴ δέ ἐστιν αὐτοῖς ἡ σύμπηξις ὡς πυρός, ὡς ἀέρος.*

5) Dial. c. Tr. c. 36 p. 255 B.

6) ib. c. 85 p. 312 A. al.

7) Apol. II, c. 5 p. 44: *ὁ θεὸς τὸν πάντα κόσμον ποιήσας τὴν μὲν τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν πρόνοιαν ἀγγέλοις, οὓς ἐπὶ τούτοις ἔταξε, παρέδωκεν.*

8) Leg. ad Chr. c. 24 p. 128 ed. Otto.

9) Leg. ad Chr. c. 10 p. 48 sq.

multitudinem angelorum delegat, quarum doctrinam ad eam disciplinae christianae partem quae sit de Deo pertinere docet (qua cum sententia comparare possumus celeberrimum illum Justini locum, quo obiecta cultus et venerationis Christianorum enumerans, etiam angelorum mentionem facit[1])), si porro adiungimus, a Justino maxime regium et iustissimum principem secundum genitorem deum nominari[2]), ab eodemque doceri, multa opus esse precatione, ne quum ad exitum vitae venerimus, anima nostra licet in iustorum numerum haberi possit, arripiatur ab impudenti quodam et malo angelo[3]); nonne talium sententiarum cum Gnosticorum placitis necessitudinem quamdam statuere iure licebit?

Semischius alios viros doctos secutus quum ex Platonis doctrinis apologetas pendere neget, concedat vero Philonem vim quamdam ad tales doctrinas de angelis rerum curam habentibus excolendas habuisse, haud parvam inconstantiam, cui et alias in Justini doctrina ab eo diiudicata occurrimus, ubi de cohaerentia antiquae sentiendi cogitandique rationis cum novis christianorum doctorum doctrinis disputat, sententiis eius inesse, negari non posse nobis videtur[4]). Nam quum inter omnes constet, apologetas, imprimis Justinum non leviter tantum Platonicam attigisse philosophiam, sed penitus eam cognitam habuisse, cur illi viri docti talem cohaerentiam constanter negent et ex Platonica philosophia apologetas nihil prorsus habuisse contendant, non intelligitur. Praeterea ipsius Philonis disciplina tot Platonis doctrinas receperat, ut Philonis auctoritate concessa, Platonem certe indirectam quamdam vim ad apologetas habuisse, nemo infitias iturus sit. Quae enim fide continebantur, doctrinae non tam certae erant ab initio, ut ad quaestiones contemplativas vel ut hoc verbo utar speculativas statim iusta et christianae conscientiae sola conveniens responsio inveniretur. Nimirum apologetae christiani gentilium sententias clam inducere in christianam disciplinam nolebant, sed quum expressionem quamdam quaererent, fidei aptam, facillime factum est, ut totius aetatis propria sentiendi ratio auctoritatem suam imponeret in novis ad artem revocandis dogmatibus. Imo quomodo ad Platonem aliosque philosophos tam saepe delegare poterant, nisi in multis doctrinis differentiam inter duas rationes, eam quam adversarii tuebantur, et eam quam ipsi christiani defendebant, nondum animadvertissent? quis eos vituperare velit, qui in aliis doctri-

---

1) Athen. Suppl. 10 p. 48. Just. Apol. I, c. 6 p. 56 C.
2) Apol. I, c. 12 p. 59 E.
3) Dial. c. Tr. c. 105 p. 332 E. sq.
4) cf. Semisch p. 348 sq. Keil Opusc. acad. ed. Goldhorn p. 544 sq.

nis tractandis non eo usque viderent, quod omnes ex christiano principio consecutiones deducere possent [1])?

Quod etiam melius apparebit, si, quid de mundi creatione statuerint apologetae, paucis indagamus. Unus enim Theophilus ita ut dubio careat gentili de mundo ex subiacenti materia constructo doctrinae repugnat. De qua re saepissime in libris ad Autolycum disserit. Summo consensu prophetas docuisse ait, Deum ex nihilo omnia creasse [2]). Quid interesset, quaerit, si Deus ex materia subiecta mundum fecisset? Dei opera contraria esse operibus mortalium opificum qui materia ab aliquo accepta, ex ea quidquid velint, effingant. Nam in eo Dei apparere potentiam, quod ex nihilo creet, quaecumque velit, quemadmodum animam et motum dare praeter Deum nemo posset alius. Hominem signum effingere, sed rationem, respirationem sensum dare non posse operi suo: Deum in eo praestantiorem esse quod ratione, respiratione, sensu praeditum faciat opus. Quemadmodum igitur in his omnibus potentior sit Deus quam homo, ita etiam in eo, quod ex nihilo procreet, et quodvis procreaverit. Itaque Theophilus Platonicorum placita redarguit, qui fatentes ingenitum Deum et patrem et creatorem esse omnium, deinde statuant, duo esse ingenita, Deum et materiam, eamque Deo coaevam esse dicant. Quibus opponit: Quodsi Deus ingenitus et materia ingenita, non iam Deus creator est omnium, nec constabit Dei monarchia. Deinde quemadmodum Deus, quatenus ingenitus, etiam immutabilis est, ita et materia si esset ingenita, immutabilis quoque et Deo aequalis foret, quod enim genitum est, verti et mutari potest, ingenitum autem nec verti potest nec mutari [3]). — At alio loco, ubi de hominis creatione disputat, eius dignitatem tantam esse ait, ut ab homine non possit sufficienter enarrari. Deum enim dicentem „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram", hominis excellentiam prodere. Tum pergit: Quum enim Deus verbo omnia fecisset, quasi cetera parvi duceret (*τὰ πάντα πάρεργα ἡγησάμενος*) hoc unum opus propriis manibus

---

1) Quibuscum conferas, quae Ritterus „Gesch. d. christl. Philos. I p. 329 disputavit:" Die Gefahr lag ebensonahe zu viel vom alten in den neuen Glauben herüberzunehmen als zu heftig den alten Glauben zu verdammen. Denn es war wohl natürlich, dass auch eine leidenschaftliche Bewegung bei ihnen sich regte gegen die Partei, welche sie verlassen hatten und welche sie und ihre neuen Glaubensgenossen als Abtrünnige verfolgte. Es ist dem Christenthum begegnet, was einer jeden Neuerung unter den Menschen begegnen muss, wie sicher sie auch auf dem ältesten, auf einem göttlichen Grunde ruhen möge, dass es in der Abwendung von der früheren Bildung nicht sogleich eine richtige Einsicht darüber gewinnen konnte, was von jener beibehalten und was von ihr verworfen werden musste.

2) Ad Autol. II, c. 10 p. 355.

3) ib. II, c. 4 p. 349 sq.

dignum existimavit, hominis creationem (*μόνον ἰδίων ἔργον χειρῶν ἄξιον ἡγεῖται τὴν ποίησιν τοῦ ἀνθρώπου*). Quin etiam quasi auxilio indigeret Deus, dicere invenitur: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem"[1]). Nonne in hac ipsa sententia, in qua tuenda Plato et Philo (de mundi opificio p. 15 sqq.) antecesserant, reliquum quoddam antiquae cogitandi rationis invenitur, quae Deum supremum quam plurimum procul a mundo esse voluit, timens ne concessa quadam Dei cum mundo contagione, quae indigna sit inenarrabili et ab omni materiae commercio latissime remoto Deo, numen supremum conditionem circumscriptam vel fines habere videatur [2]).

Aliam in partem Tatiani doctrina ex ethnica sentiendi et cogitandi ratione pendet atque in ethnicum dualismum recidit, si dicens quidem universum mundum e materia esse factum, materiam tamen ipsam quae antequam divina vi discerneretur et digereretur, per se rudis fuerit et incomposita, initio a Deo prolatam sive genitam et per primigenitum Dei filium, *τὸν λόγον* esse formatam, coelum mundumque secundum naturam suam prorsus diversa et inter se contraria esse nihilque, ut postea clarius elucebit, inter spiritum et materiam commune esse doceatur.

Maiores disputationi nostrae adesse videntur difficultates, si quaeratur, quaenam Justinus de mundo creato et de Deo creatore statuerit, quoniam virorum doctorum sententiae multis inter se discrepant. Sed quaecumque argumenta afferantur ad tuendam illam sententiam, cuius defensores non pauci sunt, Justinum etiam in hac de creatione doctrina christianam fidem, quae Deum ex nihilo creasse mundum credit, ad artem revocasse, et quamvis christiana doctrina, quae Deum etiam subiacentis materiae creatorem vult esse, nonnullis locis indicata videtur, id pro certo habemus, nusquam apertis verbis talem christianam de creatione doctrinam a Justino prolatam esse. Deus quidem *ποιητὴς τῶν πάντων* nominatur, aut *ὁ διατάσσων*, omniaque ab eo *κεκοσμῆσθαι καὶ γεγεννῆσθαι* [3]) dicuntur; sed ad tales definitiones ut sententiam tueantur, delegare, adversarios paullum iuvat, quum ad refellendos eos iam haec sola observatio sufficiat, iisdem formulis quibus Deus creator significetur, etiam Platonem et Philonem usos esse. Saepissime ubi de mundo creato disserit Justinus, Platonicis formulis utitur; eumque mentis suae plane compotem christianum dogma in systema non recepisse, id inde concludere possumus, tum quod et ipse materiam et ori-

---

1) ib. II, c. 18.

2) cf. Ritter „Gesch. d. Philos." V, p. 302; IV, 454. Id. Ueber den Begriff und den Verlauf der christl. Philos. Theol. St. et Krit. 1847, fasc. 3, p. 601.

3) Apol. I, c. 20, p. 66 CD Dial. c. Tr. c. 11, p. 228 A. Apol. I, c. 20, p. 66 D.

ginalem creaturam imperfectam videtur dixisse, regenerationis indigentem [1]), tum — quod quidem gravissimum nobis videtur argumentum — quod Platonis doctrinam eandem esse dicit atque illam veteris Testamenti, quodque pergit Platonem suam doctrinam a Christianorum doctoribus id est a doctrina per prophetas vulgata accepisse [2]).

Similis vero Athenagorae est inconstantia, in cuius quidem scriptis doctrina de creatione accuratius non explanata, sed paucis circumscripta est. Qui quum dicat, logon, quem Deus in se ipso habebat, prodiisse, ut omnium materialium rerum informis naturae et terrae inertis instar iacentium partibus crassioribus commixtis cum levioribus, idea et vis efficax esset, nonne ex talibus auctorem materiam sic habuisse, quasi ea inter principia ponatur et una cum Deo subsistere dicatur, recte concluditur? [3]) Ad eandem illam christianae fidei nondum adaptatam sententiam ea etiam spectare videntur, quae Deum opificem esse volunt talem qualem qui utitur luto? [4]) Verum enim vero plane alia mens Athenagorae fuisse videtur, scribentis, illud quod secundum Christianos inter Deum et materiam sit spatium in eo consistere, quod Deus initio careat et aeternus, nonnisi mente conspicuus, materia autem sit creata et fragilis [5]); aut docentis rationi non consentaneum esse, ut materia antiquior sit Deo, necesse enim esse, ut caussa efficiens prius quam ea quae fiant, exsistat [6]).

In quibus doctrinis quae hucusque narravimus, quum necessitudo, qua apologetarum doctrina cum antiqua sentiendi cogitandique ratione sit coniuncta, et quantum ad eorum sententias de Deo eiusque per logum manifestatione, de creatione et angelis explanandas, antiqua philosophia valuerit, in oculos incurrat: iam videndum est, quid inter hasce apologetarum et veterum philosophorum intersit doctrinas et quomodo dualismum ethnicum, licet interdum in eum reciderint, neque quod ad

---

1) Apol. I, c. 61, p. 94 CD; c. 10, p. 58 B: *καὶ πάντα τὴν ἀρχὴν ἀγαθὸν ὄντα δημιουργῆσαι αὐτὸν ἐξ ἀμόρφου ὕλης — δεδιδάγμεθα.*

2) Apol. I, c. 59 p. 92 CD.

3) Leg. pro Chr. c. 10 p. 46. — — *πρῶτον γέννημα εἶναι τῷ πατρί, οὐχ ὡς γενόμενον — — ἀλλ' ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων, ἀποίου φύσεως καὶ γῆς ἀχρείας ὑποκειμένων δίκην, μεμιγμένων τῶν παχυμερεστέρων πρὸς τὰ κουφότερα ἐπ' αὐτοῖς, ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι προελθών*

4) ib. c. 15 p. 66: *ὡς γὰρ ὁ κεραμεὺς καὶ ὁ πηλός (ὕλη μὲν ὁ πηλός, τεχνίτης δὲ ὁ κεραμεύς) καὶ ὁ θεὸς δημιουργός, ὑπακούουσα δὲ αὐτῷ ἡ ὕλη πρὸς τὴν τέχνην.*

5) ib. c. 4 p. 20; ib. p. 22.

6) ib. c. 19 p. 90: *οὔτε πρεσβυτέραν λόγον ἔχει εἶναι τὴν ὕλην τοῦ θεοῦ τὸ γὰρ ποιητικὸν αἴτιον προκατάρχειν τῶν γινομένων ἀνάγκη.* Adeas praeterea Ritter Gesch. d. chr. Philos. I, p. 301 sq. et p. 312. Duncker Die Logoslehre des Justin p. 19. Hagenbach l. l. p. 104 sq.

doctrinam attinet, plane ab eo sese liberaverint, et consecutiones ex emanationis qua utebantur ratione deducendas superarint, ut inde cognoscamus, ex illa antiquae philosophiae vi et auctoritate nequaquam patere, apologetas in disciplinis ad artem revocatis illud prorsus novum quod per christianam fidem acceperant, neglexisse vel omisisse.

Aptissime vero ex iis initium faciemus, quae supra diximus de apologetarum emanationis doctrina, ad rationem qualem inter patrem et filium esse cogitarent exprimendam. Quod enim Justinus, Tatianus, Theophilus filium ex patre genitum sive prosiluisse sive progressum dicunt esse virtute et voluntate patris, iam huic sententiae gravissimum maximique momenti discrimen inesse apparet, quo a prisca emanationis theoria disiungatur, ad cuius notas pertinet naturales, principium unde omnis *ἀπόῤῥοια* manat, effundatur, necesse esse, ex quo omnia quasi ex radice [1]) procrescant; principium enim, nisi ex abundantia sua profundat, principium non esse. Itaque secundum apologetarum illorum sententiam filii generatio libera Dei est actio divinique amoris consilium, ad hominum salutem initum. Quare si dicunt, Dei filium ex patre prius prodiisse quam mundum creaverit, addere non negligunt, virtute eius ac voluntate id factum esse, omnesque appellationes, quibus logos in libris sacris significetur, inde eum habere contendunt, quod et patris voluntati ministret et patris voluntate ex eo ortus sit [2]).

Neque dubitamus, quin etiam Theophilus eiusdem sententiae fuerit, quum Deum logon genuisse dicat, quo certum quoddam Dei consilium, mundi scilicet creationem, perficeretur [3]). Ea enim est doctrina, quam profitentes omnes quos diximus ecclesiae patres consentiunt, procreationem vel generationem logi proximam habere ad res creatas relationem cumque ea artissime esse coniungendam. Dicentes vero logon procreatum esse ad certum quoddam Dei consilium perficiendum, maxime dissident ab emanationis doctrina, quae illas certe emanationes una mente contuendas aeternas putabat esse, licet interdum eas quae sensibus percipiuntur, genitas esse doceat [4]). Quae quidem logi progressi ad res creatas relatio inde est deducenda, quod apologetae non tam a Dei notione profecti ad logi notionem procedebant, hanc ex illa deri-

1) Ritter „Ueber d. Emanat.lehre im Uebergange aus der alterthüml. in die christl. Denkweise" Gött. 1847 p. 6.

2) cf. Just. Dial. c. Tr. c. 61 p. 284 B. c. 100 p. 327 B. Tat. Or. ad Gr. c. 5: *θελήματι δὲ τῆς ἁπλότητος αὐτοῦ προπηδᾷ λόγος.*

3) Theoph. ad Autol. II, c. 22 p. 365: *ὅποτε δὲ ἠθέλησεν ὁ θεὸς ποιῆσαι, ὅσα ἐβουλεύσατο τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, πρωτότοκον πάσης κτίσεως, οὐ κενωθεὶς αὐτὸς τοῦ λόγου, ἀλλὰ λόγον γεννήσας καὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ διαπαντὸς ὁμιλῶν.* cf. Semisch l. l. p. 282 n. 4 et contra eum Dorner l. l. p. 437.

4) Ritter l. l. p. 7 Duncker Logoslehre p. 21.

vabant, sed quod a creatione Dei profecti et usque ad summum Deum progressi ad logi notionem perveniebant. Utique huic de logo doctrinae ita excultae cogitationem christianae rei propriam inesse, facile intelligitur. Nam ethnica cogitandi ratio a physica quadam analogia profecta, naturalismum non superavit in excolenda emanationis doctrina, christianis vero haec emanatio ethica erat actio, ita ut res tota eaque ad auctoritatem antiquae philosophiae physica ad ethicam transferretur rationem. Quae quum ita sint, mundum apologetarum sententia non sine consilio quodam creatum esse, promptum eumque neque aeternis evolutionibus subiectum neque materiam quamdam sine ulla intermissione a mente divina ad pulchritudinem formatam, illos habuisse apertum est. Imo vero Deum hominum gratia mundum creasse, explorate contendunt, cui sententiae apud omnes fere apologetas occurrimus. Deum omnia initio ex informi materia hominum caussa condidisse, Christianis persuasum fuisse dicunt, qui si digni manserint operibus illius id adepturi sint, ut cum eo degant atque una regnent corruptionis et perpessionis expertes [1]). Itaque opus a Deo hominum caussa factum, adorare nolunt, neque quos hominum ministros fecit Deus, solem et lunam [2]); sed eum adorant, qui homines dilexit, quapropter fecit mundum, quibus in terra subiecit omnia, quibus rationem mentemque dedit, filiumque misit suum unigenitum, quibus coeleste promisit regnum et dabit si ipsum dilexerint [3]). Ita vero quae ingenia tamdiu occupaverat quamque attingere emanationis doctrina ab Alexandrinis recepta frustra conata erat, exaequatio illa orientalis et occidentalis de rebus sententiarum tum evangelio revelato inventa erat. Ea quam orientalis philosophia maxime voluerat et secuta erat, animi tranquillitas retinebatur, neque abiiciebatur huius mundanae vitae quod bonum est; in qua igitur non diutius vanitas et simulatio conspiciebatur, neque ex eius intranquillitate effugere vel a vanitate eius effugere necesse habebatur; itaque quod attinebat et ad physicam et ad ethicam eius vim, cognita mundanae vitae veritate, quam occidentalis sentiendi ratio numquam non defenderat, non tamen desperabant Christiani de animi tranquillitate in summo bono, quod assequi possent homines quodque desiderio eorum vere satisfaceret, quaerenda et quondam invenienda. Tum demum reperta erat via, quam ingressi summum bonum, diu iam desideratum, omnemque perfectionem attingerent homines, non aspernati,

---

1) Apol. I, c. 10 p. 58 B. II, c. 5 p. 14 A. Dial. c. Tr. c. 41 p. 260 A. Theoph. ad Autol. I, c. 4 p. 340; II, c. 10 p. 355.

2) Tat. Or. ad Gr. c. 4 p. 144 D.

3) Epist. ad Diogn. c. 10 p. 500 D.

quum coniunctionem cum fonte omnis vitae sitirent et communitatis cum summo Deo ineundae desiderio flagrarent, vitam laboriosam, neque contemnentes neque negligentes res humanas. Nam non amplius de vitae ratione dubitandum est, quum quae in hac vita incipiuntur in altera illa, eaque beatiore persequenda sint, quumque omnes huius vitae labores et dolores praeparationi inserviant ad plenam beatitudinem impetrandam[1]). Mundus, non necessario ex Deo emanatus, sed qui documentum caritatis eius et benignitatis esse putatur, neque desertus est ab eo, nam creator eius est etiam curator, quare homines mundum contemnere nefas est[2]). Itaque si quis neget, Deum homines humanasque res curare, is aut ipsum esse astute negabit, aut eum si sit pravitate gaudere vel lapidis instar perseverare dicit, neque virtutem neque vitium quodquam esse, sed arbitrio tantum homines haec vel bona vel mala putare: quae quidem maxima impietas est[3]). Nam quemadmodum navis etsi omnibus rebus instructa, nullam nobis praebet utilitatem, nisi gubernatorem habeat, ita neque elementa ordine adornata quidquam possunt sine Dei providentia. Navis enim per se ipsa non navigabit: elementa sine opifice non movebuntur[4]), quia omnes res creatae creatoris procuratione egeant[5]).

Tales doctrinae ex fide christiana orta superabant ethnicam emanationis doctrinam, quae ipsa non aliter incendi poterat, nisi logo cognito tamquam vinculo quo homines cum Deo, caritatis auctore, coniungerentur, ita ut logos conciliator sit omnis divinae caritatis in homines hauriendae. Per quem logum angelum etiam et apostolum vocatum cognoscenda quaeque nuntiantur; is nuntiatum mittitur quemadmodum et ipse dominus noster dixit: „Qui me audit, eum qui me misit audit[6]). Nam quum sit progenies ex patre revera prolata, prae ceteris creatis rebus unus erat cum patre, et cum eo pater colloquitur[7]). Judaei igitur omnium patrem numquam non cum Mose collocutum existimantes, quia collocutus cum eo filius esset Dei, merito et a prophetico spiritu et ab ipso Christo arguuntur, nec patrem nec filium nosse. Logos enim Mosi et ceteris prophetis ignis specie et imagine mortali visus est: nunc autem ad patris arbitrium pro piorum salute homo factus nihili habebatur et summos sustinebat dolores, immo et morte ac

1) cf. Ritter „Emanat.lehre" p. 28 sq.
2) ib. p. 31.
3) Just. Apol. I, c. 28 p. 71 C. Dial. c. Tr. I, p. 218 A.
4) Athenag. Suppl. c. 22 p. 24 D.
5) id. de resurrect. mort. c. 18 p. 60 C.
6) Apol. I, c. 63 p. 95 D.
7) Dial. c. Tr. c. 62 p. 285 D.

resurrectione mortem vincebat [1]). A quo eruditi christiani non vanis crediderunt fabulis nec sermonibus argumento destitutis, sed spiritu divino plenis, potestate scatentibus, gratia florentibus [2]). Hic enim alter post creatorem Deus omniumque dominus, etiam angelus vocatur, quippe qui nuntiat hominibus quaecumque iis nuntiari vult pater, quo superior alius Deus nullus est [3]). Quae quum ita sint christiani rogant, ut doctrina quam profitentur, probetur, quia veritatem loquuntur, nam sola ea vera sunt, quae illi dicunt, edocti a Christo et a prophetis [4]), quorum doctrinae minime turpes sed omni philosophia humana sublimiores [5]), sublimiores quam ut eas mundus possit comprehendere [6]). Quae illa christianorum apologetarum laetitia et securitas, qui summorum bonorum participes facti, revelato divino consilio, nihil sibi ad summam beatitudinem deesse putarent! Deus enim benignus, verax, solus perfectus magnum quid mente concepit quod cum uno filio communicavit. Quatenus igitur sapiens consilium suum in occulto retinebat negligere nos et non curare videbatur; deinde vero, revelatus per filium dilectissimum, patefecit quae inde ab initio parata erant, omnia simul tribuit nobis, frui suis beneficiis. Quod quis umquam exspectavisset? Omnia igitur per se sciebat una cum filio secundum providentiam [7]). Itaque ipse Deus e coelis veritatem logonque sanctum mente non percipiendum ad homines misit cordibusque infixit [8]). Unde evenit ut quod a Socrate tam difficile haberetur, parentem et opificem invenire, inventum apud omnes praedicare, Christus sua ipsius potestate praestitit. Cui Christo non philosophi tantum et literati homines crediderunt, sed etiam operarii et omnino indocti gloriam, metum, mortem contemnentes [9]), qui si utilitatem doctrinae christianae demonstrare nequeunt, rebus tamen gestis utilitatem quae ex animi inductione proficiscitur probant [10]).

Quibus expositis priusquam transeamus ad aliud quod doctrinam de logo explanatam illustrare possit, eam imprimis qualis a Justino exculta sit, paullo digredientibus de inspiratione pauca disputare liceat. Cuius doctrinae inserendae occasionem ea nobis dant quae consentientibus ceteris

---

1) Apol. I, c. 63 p. 96 ABCD.
2) Dial. c. Tr. c. 9 p. 226 D.
3) ib. c. 56 p. 275 C.
4) Apol. I, c. 23 p. 68 B.
5) Apol. II, c. 5 p. 52 B.
6) Tat. Or. ad Gr. c. 12 p. 152 B.
7) Epist. ad Diogn. c. 8 p. 499 D.
8) ib. c. 7 p. 498 BC.
9) Just. Apol. II, c. 10 p. 48 E, 49 A. Apol. I, c. 60 p. 93 CD.
10) Athen. Suppl. c. 11 p. 12 A.

apologetis, de logo divino prophetas inspirante a Justino dicta esse supra commemoravimus. In qua de inspiratione prophetarum sententia accuratius explanata magna antiquae philosophiae fides clarissime apparebit. Apologetae enim, quum pro veritate doctrinae ab ipsis traditae defendenda ad prophetarum consensum delegent: quae a prophetis dicta sint, non ut a praesentibus iis dicta sint existimandum esse contendunt, sed a logo divino illos excitante [1]). Ipse Deus iis veluti instrumentis usus dicitur vaticinantibus. Neque enim natura neque humana cogitatione res tam magnae ac divinae cognosci ab hominibus possunt, sed dono quod ex alto in sanctos viros tum descendebat, quibus nec dialectica arte opus fuit nec rixandi quidquam et litigandi dicere studio, sed sinceros se ipsos divini spiritus praebere impulsui [2]). Quumque logos divinum plectrum dicatur e coelo delapsum, eum ut rerum divinarum et coelestium nobis cognitionem revelaret, ora iustorum virorum citharae sive lyrae instar pulsasse, saepissime ab apologetis repetitum legimus [3]). Imo vero Athenagoras ita inspirationem definiendam esse putavit, ut prophetas mente extra se raptos, impellente spiritu divino, quae ipsis inspirarentur, prolocutos esse diceret [4]). Quibuscum consentire videtur Justinus, qui prophetas in ecstasi locutos esse voluit [5]), ita ut propriam ipsorum oraculorum significationem atque gravitatem haud perspicere intellexerint [6]). Quibus quidem apologetarum de inspiratione sententiis accuratius nobiscum reputatis facile apparet eos ex iis pendere sententiis, quas de vatibus et viris inspiratis veteres doctores statuerant, atque imagines, quibus illam rationem illustrari putant, easdem illas esse quibus iam Plato [7]) usus erat ad hanc rem illustrandam quasque repetitas reperimus apud Philonem [8]), aliosque viros doctos [9]). Quo-

1) Just. Apol. I, c. 36 p. 76 D. ib. c. 33 p. 75 D.

2) Coh. ad Graec. c. 8 p. 9 A.

3) Athen. Leg. c. 7 p. 8 B (ed. Otto p. 36): — — — *πιστεύειν τῷ παρὰ τοῦ θεοῦ πνεύματι, ὡς ὄργανα κεκινηκότι τὰ τῶν προφητῶν στόματα, προσέχειν δόξαις ἀνθρωπίναις.* cf. Coh. ad Graec. c. 8 p. 9 B. Tat. Or. ad Gr. c. 13 p. 153 A: *Πνεῦμα δὲ τοῦ θεοῦ παρὰ πᾶσιν μὲν οὐκ ἔστι, παρὰ δέ τισι τοῖς δικαίως πολιτευομένοις καταγόμενον καὶ συμπλεκόμενον τῇ ψυχῇ διὰ προαγορεύσεων ταῖς λοιπαῖς ψυχαῖς τὸ κεκρυμμένον ἀνήγγειλε.* Theoph. Ad Autol. II, c. 9 p. 354. II, 10.

4) Leg. pro Chr. c. 9 p. 9 D.

5) Dial. c. Tr. c. 115 p. 343 A. Sed nescio utrum quae hoc loco de propheta Sacharja dicta sunt, ad omnia prophetarum effata transferenda sint, necne. cf. Semisch l. l. II, p. 17 n. 1).

6) cf. Otto „De Just. Mart. scr. et doctr." p. 114 n. 7).

7) cf. locos laudatos a Semischio l. c. II, p. 19 n. 2).

8) ib. p. 20 n. 3) 4) 5).

9) cf. Ritter Gesch. d. Philos. IV, p. 509 sq., ubi Plutarchi locus de Pyth. orac. 21 laudatur.

rum definitionibus quae totius ethnicae cogitandi rationis propriae erant, apologetae tam securi utebantur, ut Platonis effata ad ipsorum doctrinam omnium intelligentiae accommodandam afferrent et compararent. Auctor quidem Cohortationis ad Graecos eandem de Sibylla vaticinante habuisse videtur sententiam, quam de prophetis inspiratis, si dicit, illam non poëtarum instar habuisse facultatem corrigendi et limandi, praesertim in iis quae ad accuratam numerorum rationem pertineant, sed in ipso afflatus tempore vaticinandi munere functam esse, desinente autem afflatu desiisse quoque dictorum recordationem [1]).

Sed iam ad id redeamus, unde exorsi sumus, ad illam scilicet de de logo doctrinam quae imprimis apud Justinum in alias etiam partes exculta est. Justinus enim non in eo constitit, logon, quo Deus ut mundum crearet quasi organo utebatur, talem esse, in quo Deus cum hominibus familiaritatem ineat, cuius ore ad homines loquatur, benignissima cum iis ad salutem hominum capta communicet consilia — idem logos etiam conciliator est inter Deum et homines, cuius intercessione hominibus ad Deum aditus aperitur, quo tamquam amoris vinculo, universum genus humanum artissime cum Deo coniunctum est, ita ut perfecta cum Deo coniunctio et conciliatio ex eo prorsus pendeat.

Quae quidem Martyris de logo toti mundo insito, quam propinqua cognatione Stoicorum attingat doctrinam, interdum iam paucis obiterque a viris doctis indicatum [2]), accuratissime vero explanatum est a Dunckero, viro in ecclesiae antiquitate versatissimo [3]). Cui philosophicae disciplinae transitus ex antiqua sentiendi ratione in plane novam maxima inerat vis praeparandi animos ad evangelium modo revelatum recipiendum. Nam sicut antiquum dualismum superare conati erant doctrinis, quas et de mundo formato per evolutiones virium quarumdam naturae insitarum quae multitudinem variarum specierum naturali quadam necessitate procreet atque progignat et de unitate materiae et vis animatae ac rationalis, quae materiam moveat, tradebant, ita etiam in logi notione ab ipsis exculta, clarissime prolatum et explicatum est desiderium reconciliationis gratiae pro hominum salute a Deo impetrandae. Itaque quum stoicae philosophiae auctoritatem quanta fuerit ad omnes illius temporis disciplinas excolendas, diligentius nobiscum reputemus, quumque consideremus, quantopere imprimis Philo usus sit Stoicorum pla-

---

1) Coh. ad Gr. c. 37 p. 35 E.

2) Otto „De Just. M. scr. et d." 89 n. 17): illa ratione Martyr male interpretatus est Stoicorum rationem disseminatam. Ritter Gesch. d. Philos. V, p. 298.

3) Duncker „Die Logoslehre Justins d. M." p. 26 sqq. id. „Apol. saec. II etc." I, p. 6 sq. Cf. praeterea Otto „Zur Charakteristik d. hl. Justin. (Sitzungsberichte der K. Akad. d. Wissensch. Wien. Tom. VIII, 1852) p. 175 sq.

citis vestigia illius disciplinae etiam apud Justinum reperiri exspectaremus. Ipse vero narrat, ut supra iam commemoratum est, se Stoici cuiusdam philosophi interfuisse scholis seque eum non sicut Pythagoreum et Peripateticum brevi tempore interiecto deseruisse, sed diutius cum eo esse versatum (*διατρίψας ἱκανὸν μετ' αὐτοῦ χρόνον*)." Dicit quidem, se quum nihil amplius de Deo discere potuisset, ab eo discessisse, et saepissime Stoicorum doctrinae, imprimis de fato sententiae, a Justino impugnantur; neque tamen Stoicos, quippe qui ex parte saltem veritatem perspexerint, non laudat [2]).

At non solum apud Justinum sed etiam in ceterorum apologetarum doctrinis stoicae disciplinae vis cognosci potest (quae quidem disciplina per quattuor fere saecula philosophia popularis erat, eaque eius vis, ut quam plurimum in erudito dicendi genere accuratius excolendo valuerit) licet omnes sicut Justinus multa confidentia ac gravitate Stoicorum placita impugnent. Nam quum Tatianus, adversariis non nominatis, suam ipsius doctrinam alteri cuidam opponat, quae Deum velit esse corpus, mundum indissolubilem, conflagrationem eiusdem vero variis temporibus iterari [3]), non dubitandum est, quin Tatianus Stoicos notet, quorum placita, imprimis quod ad conflagrationem mundi, quam secundum quosdam orbium circuitus iisdem semper nascentibus et pereuntibus fore dicebant, etiam alibi refellere studet [4]). Accuratiorem Stoicorum rationem habet Athenagoras, qui variis locis cognitionem sententiarum, quas Stoici profitebantur, se habuisse, apertis verbis in lucem profert, quamvis nusquam eos cum laude commemoret [5]). Ita et Theophilus Cleanthis aliorum dicta respiciens, non prorsus alienus fuisse videtur a Stoicae disciplinae sententiis.

Iam nonnulli termini technici, quibus passim occurrimus perlectis scriptis eorum virorum, in quorum doctrinis enucleandis disputatio nostra versatur, quales sunt *φαντασία* et *κατάληψις*, ad Stoam nos originem eorum quaesituros delegant. Cuius ex disciplina etiam id pendet quod Justinus docet, earum rerum quae ratione comprehendantur iudicium penes sensum esse, ipsius autem sensûs praeter ipsum aliud non esse iudicium, sensui fidem habendam esse [6]): quae quidem definitiones inter gravissimas Stoicorum sententias habendae sunt, qui nihil cogita-

---

1) Dial. c. Tr. c. 2 p. 218 E.

2) Apol. II, c. 8 p. 46 B.

3) Or. c. Gr. c. 25 p. 162 CD.

4) ib. c. 6 p. 145 D.

5) Suppl. pro Chr. c. 22 p. 23 B. c. 6 p. 7 BC.

6) De resurr. c. 1 p. 588 B: *τῶν γὰρ διὰ τοῦ λόγου λαμβανομένων κριτήριόν ἐστι ἡ αἴσθησις. αὐτῆς δὲ κριτήριον οὐκ ἔστι πλὴν αὐτῆς· — — — οὐκέτι κρίνομεν πιστεύοντες τῇ αἰσθήσει.*

tione complecti posse contendebant, cuius notitiam sensus non antea invexisset, quum quicquid mens contempletur, totum e sensibus exeat [1]).

Imprimis autem ipsa logi notio qualis Stoicae philosophiae erat propria summa cum christiana erat necessitudine coniuncta [2]). Nusquam enim desiderium reconciliationis mundi cum Deo, quae est summa christianae fidei, distinctius indicatum est, quam ea ratione, qua Stoici logon definiebant eiusque doctrinam excolebant, ut Dei cum mundo unitatem, pantheisticam quidem rationem non superantes contenderent.

Quo autem facilius Justini de logo doctrina, quantum consentit cum Stoicis, intelligatur, utque fundamentum iaciamus doctrinarum de quibus postea erit disputandum, de natura imprimis hominum, de libero arbitrio deque animae immortalitate accuratius exponendarum, iam quae Stoicorum placita ad hasce doctrinas illustrandas utilitatem praebebunt, breviter recensere liceat [3]).

Physica Stoicorum proficiscitur a duplici quodam studio, quorum alterum omnia quae sunt, e corporeis derivabat caussis, alterum vero omnia ad unum ex quo fierent, principium, atque ad unam qua omnia regerentur, legem referebaut. Itaque unum principium esse volunt, unam substantiam, quae ante mundi procreationem omnia continebat, *αὐτοτελῶς λεγόμενον στοιχεῖον*, quod distinguatur a relativis elementis, *στοιχεῖα* nominatis. A qua substrata materia interdum quidem Deus discerni videtur, quum dicatur, Stoicos duo in rerum natura agnoscere principia, ex quibus omnia fiant, caussam et materiam. Materiam iacere inertem, ad omnia paratam, cessaturam si nemo moveret, caussam contra aeternam esse rationem, qua materia formetur et quocunque velit versetur, quumque esse debeat, unde quid fiat, id porro a quo fiat, caussam esse, illud materiam. Itaque Heracliti auctoritatem secuti, rationem vel caussam illam totum mundum liquentis ignis instar pervadere putabant, acute tamen distinguentes inter illum ignem quem usus vitae requirat, confectorem omnium et consumptorem, et ignem artificiosum (*πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον εἰς γένεσιν*), qui vitalis et salutaris omnia conservet, alat, augeat, sustineat sensuque afficiat. Quem quidem ignem vitalem, spiritum (*πνεῦμα*) et rationem (*λόγον*) esse docebant, quum ex dispositione mundi sapientissime instituti et ordinati

---

1) Ritter Gesch. d. Philos. III, p. 534 sqq.; 540. Ritter et Preller l. l. p. 436 sqq.

2) Duncker „Die Logoslehre Just. d. M." p. 27 sq.

3) cf. Zeller „Gesch. d. Philos. III," p. 79 sqq. p. 85 sqq. Ritter „Gesch. d. Philos. III," p. 516 sqq. p. 561 sqq. p. 584 sqq. Ritter et Preller l. l. p. 446 sqq. ed. II. Krische „Forschungen auf dem Gebiet der alten Philos." I, p. 381 sqq. p. 452 sqq. Chr. Petersen „Philosophiae Chrysippeae fundamenta." Hbg. 1827.

Deum esse demonstrare vellent. Quin etiam quum necesse sit omnem naturam non solitariam neque simplicem sed cum alio iunctam et connexam habere in se principatum (ἡγεμονικόν), qualem in homine mentem, in mundo Deum esse contendebant, mundumque tamquam ingens corpus animale e multisque membris constans agnoscebant. Deus igitur prout aut in ethicam aut in physicam partem cogitabatur, sive providentia omnia curans, sapiensque legis auctor, bonum suadens, vitii ultor, sive natura omnibus communis, sine qua nihil fiat, vis fatalis rerumque futurarum necessitas nominabatur. In quibus placitis si Deus materiae opponi videtur, non tamen ex Stoicorum doctrina ita distinguere licet quasi Deus sit unum principium agens, materia prorsus patiens (τὸ πάσχον) sit, sed neque caussa a materia, neque materia a caussa separata cogitari potest, quum materia ipsa substantia sit Dei, qui eam constitutis temporibus consumit, deinde rursus ex se exserit. Deum summum, licet interdum Juppiter ab iis nominetur secundum usitatas de diis opiniones, nihil aliud esse volebant, nisi mundum ipsum. Itaque ardor caelestis, spiritus, anima mundi, divina mundi ratio, natura, aether, lex omnibus communis, providentia, ipsa fati necessitas, et si qua alia inveniantur vocabula, quibus summum numen notetur: omnibus unum idemque significari volunt. Quod vero dicant, deum esse ignem artificialem, omnia iam secundum certam quamdam fati legem ex deo gigni et in eum reverti docent. Quo fit, ut deum cum semine quodam rerum comparent, ex quo omnes mundi partes secundum rationes non sine mente ordinatas procrescant, totidemque dicant corpora concrescere quot materiae mutationes fiant, ita tamen, ut unus idemque in omnibus maneat ille divinus ignis, semperque ad se ipsum recurrat. Quam ad notionem accuratius definiendam deum seminalem totius mundi rationem (σπερματικος λόγος τοῦ κόσμου) esse dicebant. Itaque deus, quum ipse communis totius mundi ratio sit seminalis, omnes etiam in se singularum rerum seminales complectitur rationes atque continet, quas temporibus constitutis ex se procreat, unde Stoici deum ἕν πλῆθος nominasse dicuntur. „Quae quum ita sint, una tantum toti mundo inest vitae ratio: divina illa vis rationalis, ex qua omnia oriuntur, nascuntur, quae omnia penetrat, omnia effingit, animat, continet, et numine suo regit, ipsa etsi variis in rebus varia specie induta, modo natura (φύσις) in herbis, modo anima (ψυχή) in bestiis, modo anima ratione praedita (ψυχὴ λογική) in hominibus, in summo rerum ordine positis, appareat."

Quibus Stoicorum placitis Justini de logo doctrinam si comparamus, vim quam illa ad hanc excolendam habuerit facile cognoscemus, itaque intelligemus, quantopere erraverint illi viri docti, qui non satis gnari antiquae philosophiae neque ut oportet singula elementa Justini

doctrinae separantes, quum originem indicare vellent, unde Justinus doctrinae ad artem revocatae fundamenta hausisset, e platonica philosophia totam sumtam esse docebant. Attamen etiam magnae inter Stoicorum et Justini sententias notandae sunt discrepantiae, quum hic monotheismum complexus, pantheisticam Stoicorum doctrinam ad rem christianam explanandam ita accommodaverit, ut quod proprium sit christianae fidei nullo modo ab eo negligatur.

Justinus enim quum docet, Deum omnia per logon creasse, postquam ante mundum creatum logon ex se ipso progenuerit, simul logon vim animantem, mundoque insitam et totam materiam pervadentem habet, ita ut logos simillimus sit spiritui qui secundum Stoicos totum mundum commeat. Cuius logi universum hominum genus particeps erat[1]), quum omni hominum generi semen eius sit insitum[2]), quo factum ut qui cum logo a Deo iis insito vixerint et veritatem quadam ex parte cognoverint, Christiani fuerint iam ante Christi adventum, quales apud Graecos fuerint Socrates, Heraclitus, Musonius similes, apud barbaros Abrahamus, Ananias, Elias alii[3]). Atque quaecumque praeclare umquam dixerunt aut excogitaverunt philosophi aut legum latores, haec invento et considerato aliqua ex parte logo elaboraverunt[4]). Itaque logos divina est vis agens, sive principium movens, plenam adducens mundi cum Deo coniunctionem, perfectionis finem[5]). Ad quam rationem id spectat, quod Martyr logon illum a Deo genitum mundoque insitum, seminalem vocat divinam rationem (*σπερματικὸς λόγος*)[6]). Qua notione eam logi rationem indicari vult, quae est principium vitae divinae, hominibus insitum, et vis illa animata, universo generi humano iniuncta, quae movet homines et animat. Cui quidem logi potestati tantam Justinus tribuit vim, ut Deum propter christianorum semen perturbationem et dissolutionem totius mundi differre doceat, ita ut nulli iam exstent improbi angeli neque daemones neque homines[7]). Quam sententiam necessitati, qua Justiniana de *λόγῳ σπερματικῷ* doctrina Stoi-

---

1) Apol. I, c. 46 p. 83 C: *τὸν Χριστὸν πρωτότοκον τοῦ θεοῦ εἶναι ἐδιδάχθημεν καὶ προεμηνύσαμεν λόγον ὄντα οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μέτεσχε.*

2) *διὰ τὸ ἔμφυτον παντὶ γένει ἀνθρώπων σπέρμα τοῦ λόγου* Apol. II, c. 8 p. 46 CD.

3) Apol. I, c. 46 p. 84 CD.

4) Apol. II, c. 10 p. 48 C.

5) Duncker l. l. p. 32.

6) Apol. II, c. 13 p. 51 C: *ἕκαστος γάρ τις ἀπὸ μέρους τοῦ σπερματικοῦ θείου λόγου τὸ συγγενὲς ὁρῶν καλῶς ἐφθέγξατο.* cf. ib. c. 8 p. 46 C.

7) Apol. II, c. 7 p. 45 B: *ὅθεν καὶ ἐπιμένει ὁ θεὸς τὴν σύγχυσιν καὶ κατάλυσιν τοῦ παντὸς κόσμου μὴ ποιῆσαι ἵνα καὶ οἱ φαῦλοι ἄγγελοι καὶ δαίμονες καὶ ἄνθρωποι μηκέτι ὦσι διὰ τὸ σπέρμα τῶν Χριστιανῶν ὃ γινώσκει ἐν τῇ φύσει ὅτι αἴτιόν ἐστιν.*

cae philosophiae formam attingat, tribuendam esse, monet Dunckerus [1]). Nam si christiani quique secundum logon vixerunt, omnes animati cuiusdam instar mundi germina esse dicuntur, ipsum illud *σπέρμα τοῦ λόγου* hominibus insitum vere proprieque mortalis huius mundi vis animans et continens et semen vitae eius immortalis plenaeque cum Deo communionis ineundae censendum est [2]). Quo id quoque spectat, quod quum verba *πλύνων τὴν στολὴν αὐτοῦ ἐν αἵματι σταφυλῆς* (Gen. 49, 10 et 11) de morte Christi piaculari interpretaretur, contendit *στολήν* significare homines, in eum credentes, in quibus divinum illud semen habitet, logos [3]). Accurate tamen Justinus ab his, quae singulis hominibus sint insita, logi seminibus totum logon [4]) in Christo incarnatum, hominemque creatum discernit, in qua distinctione Stoicos, qui ut supra diximus inter singulorum hominum seminales rationes et universalem totius mundi seminalem rationem distinguebant, eum secutum esse, non est, quod dubitemus. Videtur quidem etiam ad hanc inter totum logon et singula *σπέρματα* rationem, emanationis doctrinam transferre, qua eum ad rationem inter patrem et logon explicandam usum esse, supra narratum est, ita ut neque haec doctrina de logo seminali, de divisione quadam in partes accipienda sit. Ad quam doctrinam id respicit, quod docet semen logi totius logi effigiem tantum esse pro viribus communicatam, et propterea scriptores qui antequam Christus homo factus sit exstiterint per insitum logi semen potuisse verum videre, sed subobscure, quum aliud sit semen alicuius et effigies, aliud ipsum illud cuius consuetudo et imitatio secundum ipsius gratiam concedatur [5]). Unde liquet res christianas omni humana doctrina sublimiores esse, quia totus logos exstiterit, Christus; philosophos autem, poetas et legum latores totam veritatem cognoscere non potuisse et propterea saepe secum ipsis pugnantia dixisse [6]). Attamen neque his placitis affinitatis tantum inter homines et Deum rationem significari vult Justinus, sed essentialem humanae animae ad divinum logon relationem, eandem rationem, quam alii ecclesiae doctores, accommodatam ad Sacrae Scripturae dictionem, inter Deum et hominem, ad imaginem Dei creatum, esse voluerunt.

---

1) l. l. p. 31.

2) cf. Duncker, Apoll. saec. II. de esstlb. n. h. partt. I, p. 14.

3) Apol. I. c. 32. p. 74 B.

4) cf. Apol. II, c. 8. p. 46 D; c. 10. p. 48 BC; c. 13. p. 51 CD alibi.

5) Apol. II, c. 13 p. 51 D: *οἱ γὰρ συγγραφεῖς πάντες διὰ τῆς ἐνούσης ἐμφύτου τοῦ λόγου σπορᾶς ἀμυδρῶς ἐδύναντο ὁρᾷν τὰ ὄντα. Ἕτερον γάρ ἐστι σπέρμα τινὸς καὶ μίμημα κατὰ δύναμιν δοθέν, καὶ ἕτερον αὐτὸ οὗ κατὰ χάριν τὴν ἀπ᾽ ἐκείνου ἡμετουσία καὶ μίμησις γίνεται.*

6) Apol. II, c. 8 p. 46 B; c. 10 p. 48 CD.

Quibus expositis quum dubitari non possit cum stoicae philosophiae formulis Justini placita optime concinere, illis Justinum doctrinam suam accommodasse, non tamen praetermittendum est, quantum Justini Stoicaque de seminali ratione doctrinae discrepent. Quod in duabus imprimis apparet rebus iisque gravissimis [1]. Nam secundum doctrinam Stoicorum, quamvis cogitatione quidem illam seminalem rationem materiae insitam, a Deo summo diversam esse volebant, re tamen Deum mundumque unum idemque esse existimabant. Justinus tamen magnam statuit inter Deum inenarrabilem et logon differentiam, quo usus mundum creavit Deus, mundoque sese revelavit, ita ut haec doctrina pantheisticam Stoicorum vitans rationem, theismum a christiana doctrina postulatum servaret, sin etiam nondum aptam, qua christiana fides accuratissime exprimeretur, invenisset notionem. Etsi enim pantheismus ad nonnullas Justini opiniones de logo excolendas, vim quandam habuisse videtur, iam ex quo eum genuerit pater, logon tamen certo discrimine a Deo summo discernendum esse docet, et sicut logi praedicat divinitatem, ita verum hominem eum in Christo factum esse, etiam atque etiam contendit.

Quod vero ad alteram, quam inter Stoicorum et Justini doctrinam esse diximus, attinet differentiam, haec non minoris quam altera illa momenti esse videtur. Quum enim Stoici rationis seminalis notionem excoluerunt, quo physices doctrinam explanarent, illam rationem seminalem materiae docentes esse principium varias formas assumentis, Justinus illam rationem ut ethicum quoddam accipit principium et logon praecipue tamquam hominibus insidentem describit, ita ut ex eius vi ethica imprimis hominum pendeat ratio. Quo factum est, ut Stoicorum de fato doctrinam saepius summo studio impugnet, et christianam contra de libero arbitrio doctrinam defendat, qua vitae et agendi ratio ab hominibus postulatur. Quare non fato homines agere aut quae eveniant pati dicuntur, sed libero quemque arbitrio praeclare agere aut peccare, quum Deus ab initio liberum angelorum et hominum creaverit genus [2]. Homo igitur cum logo sibi insito vivere et in tali vivendi ratione Christianus esse potest, etiamsi ante Christi adventum vixerit [3]; cui logo si resistit, merito pro delictis suis supplicium in aeterno igne reportabit, qui una cum totius mundi conflagratione futurus est [4]. Haec vero conflagratio, quam secundum christianam doctrinam fore dicit Justinus, non talis qualis illa Stoicorum ratio scilicet mutuae

---

1) Duncker Logoslehre p. 35. Apologg. etc. I, p. 12 sqq.
2) Apol. II, c. 7 p. 45 D.
3) Apol. I, c. 46.
4) Apol. II, c. 7 p. 45 C.

omnium rerum in se invicem conversionis et per temporum vices eveniens, sed a Deo iussa, ut novus rerum exsistat status, in quo maxima iis qui Christo fidem habebant erit beatitudo vitaque aeterna [1]. Justino simillimus, id ut iam hoc loco addam, etiam Tatianus consummationem omnium rerum fore docebat, idem quod Justinus faciens discrimen, inter suam ipsius et Stoicorum de mundi fine doctrinam. Nam haec mundi conflagratio quam corporum resurrectio sequetur, non ut Stoici volunt variis temporibus iteratur, iisdem rebus semper nascentibus et pereuntibus, sed semel saeculis nostris absolutis et omnino nonnisi iudicii hominum caussa [2]. Theophilus contra quod ad conflagrationem mundi attineat, antiquos poëtas et philosophos nolentes volentes consentire cum prophetis, minus accurate dicit, sed quum multo iuniores sint, ex lege et prophetis eos suffuratos esse doctrinas, quas profitebantur [3].

Sed ut redeamus ad Justini sententias quas aliam etiam in partem illustrare debemus, antiquiores quidem eruditi saepissime addubitabant, nos vero Martyris placitis accuratius exploratis, negare non possumus, divinam eum triadem cognovisse et docuisse, praesertim in illo loco ubi ad baptismalem formulam a Christo institutam respiciens, homines dicit baptizari in nomine patris cunctorum, in nomine Christi, crucifixi sub Pontio Pilato, et in nomine Spiritus Sancti, qui per prophetas omnia ad Jesum spectantia praenuntiaverit [4], et Christianos a crimine atheismi defendens, eos contendit praeter Deum et patrem omnium circumscriptione maiorem etiam Jesum Christum ut veri Dei filium secundo loco habere, spiritum propheticum tertio loco colere [5]. Nihilominus negari non poterit, haud accurate et firmiter eum distinctionem inter spiritum sanctum et logon tenuisse, immo saepissime munera utrique propria confudisse, ita ut consecutionibus vere servatis, in locum triadis dyas quaedam successura esset. Quum enim spiritus sanctus secundum christianam fidem complexio sit divinae vitae, humano generi immanentis, vinculum illud quo homines ad communionem cum Deo patre per logon revelato coniungantur, haec quae propria sunt spiritus sancti, ex Justini sententiis iam ad ipsum logon seminalem translata sunt. Itaque nusquam spiritus sanctus ita definitus est, ut eius natura

---

1) Apol. I c. 45 p. 82. De resurrect. c. 1.

2) Or. ad Gr. c. 6 p. 145 D. c. 13 p. 152 C. c. 25 p. 162 C.

3) Ad Autol. II, c. 37 p. 378: *ἢ καὶ περὶ ἐκπυρώσεως κόσμου θέλοντες καὶ μὴ θέλοντες ἀκόλουθα ἐξεῖπον τοῖς προφήταις καίπερ πολὺ μεταγενέστεροι γενόμενοι καὶ κλέψαντες ταῦτα ἐκ νόμου καὶ τῶν προφητῶν. καὶ τί γὰρ ἦτε ἔσχατοι ἢ καὶ πρῶτοι ἐγένοντο; πλὴν ὅτι γοῦν καὶ αὐτοὶ ἀκόλουθα τοῖς προφήταις εἶπον.*

4) Apol. I, c. 61 p. 94 DE.

5) Apol. I, c. 13 p. 60 DE; I, c. 6 p. 56 C. V. Semisch l. l. II, pp. 305—333.

et effectus a logi natura et effectu accuratius discernatur; neque nonnisi ecclesiasticae de trinitate divina formulae auctoritate commotus, a logo distinxisse videtur, spiritum propheticum, cuius primarium opus celebrat prophetarum inspirationem et dona spiritualia cum ecclesia christiana communicanda, quamvis aliis locis ipse logos quum vim exsereret in prophetarum animos eodem munere functus dicitur. Quae quidem imperfecta systematis Justiniani ratio repetenda videtur ex auctoritate antiquae philosophiae, imprimis Stoicae disciplinae, quippe quae logon idem esse voluerit quod *πνεῦμα διῆκον δἰ ὅλου τοῦ κόσμου.*

Quam arcta autem necessitudine haec a nobis exposita de logo doctrina cum alia illa Justiniana de essentialibus humanae naturae partibus doctrina coniuncta sit, id iam ex iis quae de Martyris disciplina hucusque disputavimus, coniici poterit, nisi iam ex ipsa cohaerentia qua Stoici de rationibus seminalibus et de hominis natura excoluerant placita, quorum si altera accipiebantur, altera non omitti debebant. Quid? quod inter viros doctos constat, Justinum in hac de humanae naturae partibus ex Platonica pendere doctrina, quam secutus tres hominis essentiales partes internoverit, corpus, animam, spiritum: in qua sententia quum omnes consentiant, in eo tantum inter se discrepant, unde hanc tripartitam naturam traditam acceperit, utrum ex ipso Platone, an ex Philone, an ex notissimis illis Novi Testamenti locis. Quae eruditorum virorum sententia Justini ipsius verbis fulciri videtur, quum in fragmento de resurrectione tres partes hominis enumerans internoscat corpus, animam, spiritum, doceatque, corpus quidem esse mortale, spiritum vero immortalem: et quomodo animae domicilium sit corpus, ita animam esse domicilium spiritus [1]). Ad quem locum alter accedit, qui in Dialogi cum Tryphone Judaeo exordio legitur, quemque pro illustratione cum priori illo, modo laudato coniungere possumus. Justinus enim senem a quo ipse ad christianam fidem conversus fuerit, de immortalitate animae a numine divino pendente e doctrina christiana disputantem faciens, etiam hoc loco tres in homine partes discernit — nam senis sententiam ipsius Justini christiani sententiam esse quis dubitet? — atque inter spiritum et animam eandem esse dicit rationem quam inter animam et corpus, nec nisi spiritum (*τὸ πνεῦμα*) immortalem esse docet. Sunt autem verba Justini haec: *Ἡ ψυχὴ ἤτοι ζωή ἐστιν ἢ ζωὴν ἔχει. Εἰ μὲν οὖν ζωή ἐστιν ἄλλο τι ἂν ποιήσειε ζῆν, οὐχ ἑαυτήν, ὡς καὶ κίνησις ἄλλο τι κινήσειε μᾶλλον ἢ*

1) C. 10 p. 595 A ed. Mar. (Corpus Apoll. ed. Otto tom. III, p. 240 sq.): *ἀνάστασίς ἐστι τοῦ πεπτωκότος σαρκίου· πνεῦμα γὰρ οὐ πίπτει. ψυχὴ ἐν σώματί ἐστιν, οὐ ζῇ δὲ ἄψυχον, σῶμα ψυχῆς ἀπολειπούσης οὐκ ἔστιν. οἶκος γὰρ τὸ σῶμα ψυχῆς, πνεύματος δὲ ψυχὴ οἶκος.*

ἑαυτήν. Ὅτι δὲ ζῇ ψυχή, οὐδεὶς ἀντείποι. Εἰ δὲ ζῇ οὐ ζωὴ οὖσα ζῇ, ἀλλὰ μεταλαμβάνουσα τῆς ζωῆς. ἕτερον δέ τι τὸ μετέχον τινὸς ἐκείνου οὗ μετέχει. Ζωῆς δὲ ψυχὴ μετέχει ἐπεὶ ζῆν αὐτὴν ὁ θεὸς βούλεται. Οὕτως ἄρα καὶ οὐ μεθέξει ποτέ, ὅταν αὐτὴν μὴ θέλοι ζῆν. Οὐ γὰρ ἴδιον αὐτῆς ἐστι τὸ ζῆν ὡς τοῦ θεοῦ· ἀλλὰ ὥσπερ ἄνθρωπος οὐ διαπαντός ἐστιν οὐδὲ σύνεστιν ἀεὶ τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα, ἀλλ', ὅταν δέῃ λυθῆναι τὴν ἁρμονίαν ταύτην, καταλείπει ἡ ψυχὴ τὸ σῶμα καὶ ὁ ἄνθρωπος οὐκ ἔστιν, οὕτως καὶ ὅταν δέῃ τὴν ψυχὴν μηκέτι εἶναι, ἀπέστη ἀπ' αὐτῆς τὸ ζωτικὸν πνεῦμα καὶ οὐκ ἔστιν ἡ ψυχὴ ἔτι, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ ὅθεν ἐλήφθη ἐκεῖσε χωρεῖ πάλιν [1].

Cuius loci veram interpretationem primus invenit Dunckerus in libello saepius iam a nobis laudato, quo apologetarum de essentialibus naturae humanae partibus narrat sententias [2]. Qui quamdam quidem hoc loco reperiri trichotomiam docet, prorsus tamen discrepantem a Platonica, spiritum illum, cuius Justinus mentionem faciat, haud quidem rationalis animae partem (ψυχὴν λογικήν) esse contendit, sed ipsam vitae substantiam, fontem ac principium omnis vitae, vitam illam, qua vivimus, non quam vivimus. Itaque nihil aliud Justinus verbo illo significari voluit, nisi rationem illam omnibus creatis rebus communem, qua anima humana tota e numine divino pendens, propriam vitam non habeat, sed ortum vitamque ex solo Dei arbitrio ducat. Quare Justinum iudicat minime secum ipso pugnare, quod ubicumque necessitudinem hominis cum Deo haud respiciat, sed de uno homine disserat, divino illo spiritu vitali, vitae omnis principio, neglecto, duas tantum in homine discernat partes: corpus et animam [3].

Neque minus alteram sententiam, quam viri docti [4], ut Justini doctrinam de hominis partium natura ex Platone pendere probaretur, saepius attulerunt, docentes, Martyrem animam vel rationale quod sit in homine principium particulam esse ipsius divinae substantiae voluisse, facillime infirmari posse, certis rationibus demonstratum est. Tres enim imprimis loci apud Justinum leguntur, quibus allatis illi viri quae vellent, probare solebant; sed ut breviter hic enarremus, quae iam ab aliis demonstrata sunt [5], ita ut nulla esse possit dubitatio - quod ad primum locum attinet [6], verba non Justini sunt, sed disputantis cuius-

---

1) c. 6 p. 224 BC, ed. Otto p. 28 sq.

2) particula I, p. 5.

3) l. l. p. 6.

4) Otto De Just. Mart. scr. et doctr. p. 150 sqq. Keil, opuscul. academ. p. 678. Souverain „Le Platonisme devoilé" p. 129.

5) Semisch l. l. II. p. 364 sqq. Duncker l. l. p. 6 sq.

6) De resurr. c. 8 p. 594 A: ἀλλ' ἡ μὲν ψυχή ἐστιν ἄφθαρτος μέρος οὖσα τοῦ θεοῦ καὶ ἐμφύσημα καὶ διὰ τοῦτο τὸ ἴδιον καὶ συγγενὲς ἠθέλησε σῶσαι (ὁ θεός)· ἡ δὲ σὰρξ φθαρτὴ καὶ ἀπ' αὐτοῦ καθάπερ ἡ ψυχή·

dam contra doctrinam de resurrectione carnis a Justino defensam; quibus si assentire videtur Noster, tantum adversarii sententiam suam facit, ut vel hac concessa christianam de resurrectione carnis probet doctrinam. Nec melius argumentatio eruditorum illorum alio loco firmatur, ad quem provocare solent. Nam quum Justinus in Dialogo cum Tryphone seni interroganti: *Τίς οὖν ἡμῖν συγγένεια πρὸς τὸν θεόν ἐστιν; ἢ καὶ ἡ ψυχὴ θεῖα καὶ ἀθάνατός ἐστι καὶ αὐτοῦ ἐκείνου τοῦ βασιλικοῦ νοῦ μέρος; ὡς δὲ ἐκεῖνος ὁρᾷ τὸν θεόν, οὕτω καὶ ἡμῖν ἐφικτὸν τῷ ἡμετέρῳ νῷ συλλαβεῖν τὸ θεῖον καὶ τοὐντεῦθεν ἤδη εὐδαιμονεῖν* [1]); hanc suam esse fatetur sententiam, Justinus gentilis, non vero Justinus christianus fatetur, quem ad fidem conversum, argumentationem qua senem Platonica placita refellentem facit, amplexum esse, non est quod dubitemus. Minoris denique momenti tertius locus est [2]), quum quae ibi profert ducta sint ex biblica de creatione hominis narratione, Gen. II conscripta, qua ecclesiae doctores ad diversissimas et prorsus inter se discrepantes de origine animae sententias probandas usi sunt.

E quibus quum iam apparet, auctoritatem quam Platonica philosophia ad Justini doctrinas excolendas habuit sententias eius de humanae naturae partibus non complexam esse, id Platonicorum placitorum memoria revocata magis elucebit. Nam propria platonicae anthropologiae indoles in eo cernitur quod demonstretur in ea, animam corpus origine praecedere et seorsum genitam esse; corpus vero nonnisi propter animam existere, quippe quae haud una in re corpori praestet, quumque corpora animarum tamquam vincula sint et carceres; quapropter initio anima et corpus in diversas partes agitentur, ut anima sensuum etiam affectionibus turbata primum desipiat, donec motibus corporis sedatis et perturbationibus illis bona educatione temperatis prudentiae ac sapientiae rursus particeps fiat [3]). — Quarum doctrinarum apud Justinum nulla reperitur, nihil de migratione animarum in alia corpora — immo omnes has doctrinas impugnat, easque una cum aliis Platonis placitis ex persona senis illius, qui ei intelligentiam christianae fidei primus aperuit, reprobat [4]).

Accuratius examinatis Martyris sententiis, eum doctrinam suam de hominis partibus Platonicae prorsus contrariam excoluisse, facile intelligitur. Nam profectus a narratione biblica et a placitis biblicorum scriptorum, hominem quod ad corpus eius attinet, ex terra confectum

---

1) Dial. c. Tr. c. 4 p. 221 E.

2) Dial. c. Tr. c. 40 p. 259 A: *τὸ πλάσμα ὃ ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν Ἀδάμ, οἶκος ἐγένετο τοῦ ἐμφυσήματος τοῦ παρὰ τοῦ θεοῦ.*

3) cf. Ritter, Gesch. d. Phil. II. p. 373—386. Ritter et Preller l. l. n. 273 sqq.

4) Exordium Dial. c. Tr.

esse dicit[1]), ipsumque plasma quod Deus finxerit, domum fuisse exspirationis Dei[2]). Quae quidem partes tam arcta necessitudine coniunctae sunt, ut neque anima, neque corpus dicendus sit homo, sed quod ex amborum complexu constet, nominetur homo; ita ut neque anima neque corpus soluto coniunctionis vinculo, seorsim facere quidquam possint, quemadmodum in iugo boum, si alter ab altero seiungatur, neuter arare possit[3]). Quare etiam carnem per se ipsam peccare non posse contendit, nisi animam praeeuntem quasi et provocantem habeat[4]). Quae firmissima coniunctio animae cum corpore etiam inde concludatur, quod divina hominis imago etiam ad carnem a Justino transferatur et haec caro honorata apud Deum supraque omnia Dei opera nobilis et propterea merito sane a Deo servanda dicatur[5]). Itaque quaerit Justinus: Quid est homo, nisi ex anima et corpore constans animal rationale? totumque hominem ab anima et corpore contineri putat[6]). Quumque huic homini, ex corpore et anima composito, ratio et liberum arbitrium tribuatur, alteri animae parti vel tertiae cuidam totius hominis parti locus non relinquitur.

Iam si quaeritur, quaenam philosophiae formula in his sententiis accuratius conformandis vim habuerit, Dunckerum secuti, cognationem agnoscimus placitorum Justini cum Stoicorum de partibus naturae humanae. Quum enim ut supra ostendimus semen *τοῦ λόγου* hominibus insitum, mundi sit vis animans et continens et semen vitae immortalis, ipsum hoc semen Justini sententia tertiam quamdam humanae naturae partem, irrationali animae oppositam et contrariam esse non posse, cuivis facile intellectu est. Sicut enim Stoici distinguendum esse inter rationalem et irrationalem partem animae negabant, quum in anima per se rationali vim quamdam gubernatricem esse statuerent, eamque principium omnium animae actionum haberent, intellectum (*διάνοιαν*) eam et principium cogitandi atque assentiendi vocarent[7]), ita etiam Justinus

---

1) Dial. c. Fr. c. 62 p. 285 C. — — *τὰ στοιχεῖα τουτέστι τὴν γῆν καὶ τὰ ἄλλα ὁμοίως ἐξ ὧν νοοῦμεν τὸν ἄνθρωπον γεγονέναι·* Fragm. de resurr. c. 5 p. 591 E: *τὴν τοῦ πρωτοπλάστου γένεσιν ὅτι ἐκ γῆς ὑπὸ θεοῦ γέγονεν.* ib. c. 7 p. 592 DE.

2) Dial. c. Tr. c. 40 p. 259 A.

3) Fragm. de resurr. c. 7 p. 593 A c. 8. p. 593 B.

4) ib. c. 7 p. 593 A.

5) Fragm. de resurr. c. 7 p. 592 E: *εἶτα πῶς οὐκ ἄτοπον τὴν ὑπὸ θεοῦ σάρκα πλασθεῖσαν κατ' εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ φάσκειν ἄτιμον εἶναι καὶ οὐδενὸς ἀξίαν;* p. 593 B.

6) ib. c. 8 p. 593 D: *τί γάρ ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ἀλλ' ἢ τὸ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συνεστὸς ζῶον λογικόν; - - - κέκληκε ὁ θεὸς εἰς ἀνάστασιν τὸν ἄνθρωπον οὐ τὸ μέρος ἀλλὰ τὸ ὅλον κέκληκεν, ὅπερ ἐστὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα.*

7) cf. Sext. Emp. adv. Math. IX. 102 apud Ritter et Preller l. l. n. 416: *πάσης γὰρ φύσεως καὶ ψυχῆς ἡ καταρχὴ τῆς κινήσεως γίγνεσθαι δοκεῖ ἀπὸ ἡγεμονικοῦ καὶ πᾶσαι αἱ ἐπὶ τὰ μέρη τοῦ ὅλου ἐξαποστελλόμεναι δυνάμεις ὡς ἀπό τινος πηγῆς τοῦ*

de semine quodam *τοῦ λόγου*, humanae animae insito, loquitur, quae vero notio iam satis propriam humanae animae indolem naturalem significat, summam humanae animae vim et facultatem, quaequae a Deo revelantur comprehendere et communionem cum logo inire potest[1]). Quibus accuratius consideratis iam illam creberrime repetitam opinionem, Justinum tres partes humanae naturae statuisse, parum idoneam atque infirmam esse, neque ad Platonicam disciplinam Martyris placita pertinere, Stoicorum vero doctrinae vestigia in illis reperiri, neminem fugiet. Cuius philosophiae vestigia etiam in Justiniana anthropologia ad ethicam eius disciplinae partem applicata exstant. Nam quum vis rationis, inde ab initio humanae naturae insita, eaque non imminuta sed integra homini vel post eius lapsum addicatur, ita ut quae Deo placent, sequi possit, adhibitis quas Deus tribuit rationalibus facultatibus[2]), quum porro hominem et honeste et prave agendi libertate gaudere neque protoplastorum posteros per parentum lapsum peccatores redditos esse doceatur, licet sua quisque culpa in eandem Adami et Evae conditionem redactus sit[3]), nonne homines etiam nunc in eadem qua protoplasti integritate, nasci et divinam in homine imaginem integram remansisse, inde sequi recte efficimus? Nemo nescit malum esse adulterium, fornicationem, homicidium alia. Etiamsi omnes ista faciant, non tamen assequuntur, ut facientes iniustissime a se fieri ignorent. Nam haec recti pravique conscientia omnibus inest hominibus; quas quidem notiones non tam amitti, quam exstingui potius et inhiberi posse docet Justinus, quia naturales notiones (*φυσικαὶ ἔννοιαι*) hominibus sint[4]). Haec vero notio ad Stoicorum philosophiae formulas nos revocat, qui notiones naturales a notionibus artificialibus acute discernebant, et naturales humanae animae insitas esse aiebant[5]).

Exstinguuntur autem et inhibentur illae naturales notiones, si quidem homo libero gaudens arbitrio ad peccandum adducitur, et a proposito aberrat, diaboli et daemonum malignorum illecebris se induci

---

ἡγεμονικοῦ ἐξαποστέλλονται ὥστε πᾶσαν δύναμιν τὴν περὶ τὸ μέρος οὖσαν καὶ περὶ τὸ ὅλον εἶναι διὰ τὰ ἀπὸ τοῦ ἐν αὐτῷ ἡγεμονικοῦ διαδίδοσθαι. Adeas praeterea Ritter, Gesch. d. Philos. III. p. 607 sqq. Zeller, Gesch. d. Philos. III. p. 102 sqq.

1) Duncker l. l. p. 14.

2) Apol. I. c. 10 p. 58 C: *τὸ μὲν γὰρ τὴν ἀρχὴν γενέσθαι οὐχ ἡμέτερον ἦν· τὸ δ' ἐξακολουθῆσαι οἷς φίλον αὐτῷ αἱρουμένους δι' ὧν αὐτὸς ἐδωρήσατο λογικῶν δυνάμεων πείθει τε καὶ εἰς πίστιν ἄγει ἡμᾶς.*

3) Dial. c. Tr. c. 88 p. 315: ὃ (sc. *γένος τῶν ἀνθρώπων*) *ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ ὑπὸ θάνατον καὶ πλάνην τὴν τοῦ ὄφεως ἐπεπτώκει, παρὰ τὴν ἰδίαν αἰτίαν ἑκάστου αὐτῶν πονηρευσαμένου.* c. 140 p. 370: *οὐκ αἰτία τοῦ θεοῦ — εἴτε ἄγγελοι εἴτε ἄνθρωποι γίνονται φαῦλοι ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν ἕκαστος αἰτίᾳ τοιοῦτοί εἰσι ὁποῖος ἕκαστος φανήσεται.*

4) l. l. c. 93 p. 320 CD.

5) Ritter et Preller l. c. p. 439 sq. Ritter, Gesch. d. Phil. III. p. 545 sq.

passus, qui homines libidinibus motos facile ad idololatriam et quaevis vitia adducunt. Quorum malorum angelorum nequitia etiam id factum est, quod alii quidem partim praeclara partim turpia censent, alii contra illa turpia haec praeclara existimant, quum leges a malis angelis accommodate ad ipsorum nequitiam institutae sint, quibus eiusdem ordinis homines delectentur [1]). Qui vero peccant et peccandi facultatem consequuntur, a *λόγῳ* defecerunt et *λόγῳ* carentes vivunt, ita ut etiamsi ante Christi adventum exstiterint, Christi inimici fuerint eorumque qui cum *λόγῳ* vivebant interfectores [2]). Id enim semper effecerunt daemones, ut qui qualicumque modo secundum logon vivere vitiumque fugere studuerunt, odio omnes haberentur [3]). Nam quia homines quibus nonnisi particula quaedam rationis seminalis (*μέρος τοῦ σπερματικοῦ λόγου*) inerat, nondum perfecte prorsus cum logo vivere possent, totus logos sive Christus homo factus est, ut homines ad totius logi cognitionem et contemplationem viventes, perfecte viverent et plenam cum Deo consuetudinem haberent [4]); iis vero qui praeter rectum logon vixerint (*τοῖς οὐ μετὰ λόγου ὀρθοῦ βιοῦσι*) in aeterno igne supplicium fore merito denuntiaretur. Nam rectus logos (*ὁ ὀρθὸς λόγος*) adveniens non omnes opiniones neque omnia decreta praeclara esse demonstravit, sed bonum a pravo manifesto discrevit [5]).

Itaque *κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον* vivere summum Justino ethicum est principium, quod quidem idem est ac notissimum illud Stoicorum, *τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν,* secundum naturam vivere [6]), quae vero natura minime impetus est, quo quisque feratur, neque peculiaris hominum natura, sed universa rerum natura, quae communis omnium est conditio. Quamquam enim Chrysippus docuisse fertur, non solum secundum universam sed etiam secundum peculiarem naturam homo vivat necesse esse [7]), hoc non nisi ita intelligi posse videtur [8]), ut peculiaris hominum natura sese accommodet ad universam, siquidem privata natura ab universa contineatur, itaque id tantum illi particulari naturae aptum esse possit, quod cum universa mundi ratione consentiat. Singulorum vitae convenientia cum communi mundi lege ipsa virtus est.

Quibus narratis quum Stoicae philosophiae formulam maximam vim habuisse ad excolendam Justini doctrinam, promptum et apertum

---

1) Apol. II, c. 9 p. 48 AB.
2) Apol. I, c. 46 p. 83 CD.
3) Apol. II, c. 8 p. 46 CD.
4) ib.
5) Apol. II, c. 9 p. 48 AB.
6) cf. Ritter et Preller l. c. n. 419. Ritter „Gesch. d. Philos." III, p. 614 sqq.
7) Ritter et Preller l. l. n. b.)
8) Zeller „Gesch. d. Phil." III: Die Stoische Ethik. Ritter l. l. p. 617 sqq.

sit, imprimis quod ad placita eius de logo et de essentialibus humanae naturae partibus et ad illas de re ethica sententias attinet, quae ipsae argumento sunt, Justinum praeter rationalem animam alteram inesse irrationalem negasse, omniaque et pie et improbe a nobis acta ex eodem fonte, anima rationali, libero instructa arbitrio, fluere eum existimasse [1]), exstat, ut iam ad aliorum apologetarum doctrinas exponendas transeamus; qui bus accuratius exploratis Stoicae philosophiae vestigia etiam in iis nos non latebunt.

Sicut Iustinum suam de logo doctrinam praeter ceteras disciplinae partes narrasse et illustrasse manifesto vidimus, ita Tatianus doctrinam de spiritu diligentius exposuit et de ea disputavit, quam ceterorum ullus illius temporis ecclesiae doctorum. Nam sententia illa virorum doctorum minus firma, nimiumque levis Tatianum non distinxisse inter logon et spiritum, saepius iam refutata est, ita ut hodie vix sit, id qui defendere conaturus sit.

Itaque quae Justinus logo tribuit, eadem a Tatiano *τῷ πνεύματι* attribui facile intelligemus. Nam sicut ex Justini doctrina quod humanae naturae proprium est, in illo *σπέρματι τοῦ λόγου* homini inde ab initio insito quaerendum est, ita Tatianus, quod infra accuratius ostendemus, id quo humana natura vere discernatur a bestiarum natura et quo homo cum divina natura coniungatur, in divino spiritu cum protoplastis communicato inveniri docet; sicut autem homines libero arbitrio praediti, quum peccassent et a recta ad perfectionem ducente via aberrassent, illud *σπέρμα τοῦ λόγου* opprimebant et cohibebant, ita ex Tatiani sententia, peccato commisso spiritum amiserunt et nonnisi scintillulam quamdam eius servabant. Reconciliatio vero humanae animae cum Deo, a quo defecit, per novam quamdam spiritus communicationem efficitur, quae ipsa fit logo intercedente. Ex qua spiritus recuperatione etiam immortalitatem victricemque impugnationem et ultimam mali superationem pendere docet, quae secundum Iustinum ex reconciliatione cum toto et recto logo pendere, supra ostendimus.

Ut vero Tatiani doctrinam accuratius explanemus, quoque creberrima Stoicae philosophiae vestigia securius persequamur, exordium ab eius de partibus humanae naturae doctrina faciendum esse videtur. Unde profecti eo facilius veram Tatiani sententiam cognoscere et ex fontibus deducere poterimus, quum in Oratione ad Graecos, ad rem christianam defendendam conscripta, quaeque una ex multis scriptis exstat, de anthropologica doctrina iterum ac saepius subtiliter et copiose disserat.

Tatianus in definienda hominis natura a Veteris Testamenti de hominis creatione et de primo peccato narratione aperte proficiscitur.

---

1) Duncker l. l. p. 16.

Itaque hominem, cuius corpus ex carne mortali confectum sit[1]), carnem esse docet[2]). Quo cum corpore vero anima hominis tam arcte coniuncta est, ut quasi vinculum sit carnis, per quam connectantur, firmentur omnes corporis partes et caro animam contineat[3]). Anima multas habet partes; non simplex est, sed composita ita ut manifesta fiat per corpus: neque enim resurgit caro sine animo, neque ipsa umquam corpore carebit[4]). Nam anima per se non immortalis est, sed mortalis et una cum corpore solvitur[5]). Quae hominis anima pars est illius spiritus universalis, totam materiam penetrantis, atque omnibus creaturis, stellis, angelis, hominibus, animalibus, plantis insiti[6]). Qui etsi unus idemque sit, diverso tamen modo singulis inhaeret. Materia enim a Deo creata talis est, ut partim rudis et informis intelligatur, antequam divideretur, partim ornata et digesta, divisione peracta. Quamvis autem communis est omnium origo, sunt tamen quaedam eorum quae ex materia constant discrimina, ita ut aliud quidem pulchrius sit, aliud contra pulchrum quidem sed tamen ab alio praestantiori superatum. Quemadmodum enim corporis constitutio unius est discriptionis, quaedam tamen sunt in eo dignitatis gradus, ita quidem ut quum aliud ab alio differat, summus sit in communi distributione concentus: similiter mundus, secundum auctoris potestatem quaedam splendidiora quaedam his dissimilia continens, voluntate opificis spiritum accepit materialem (*πνεύματος μετείληφεν ὑλικοῦ* [7])).

Quod si Tatianus sententiam illorum philosophorum, hominem esse animal rationale putantium, mentis et scientiae particeps (*ζῶον λογικὸν νοῦ καὶ ἐπιστήμης δεκτικόν*) refutet, homines ratione esse praeditos non negat, imo ipsos feros mentis et scientiae capaces esse indicat[8]), et hominem feris una voce articulata praestare contendit, nisi Deus per legatum suum spiritum hominem tamquam templum incolat[9]).

---

1) c. 6 p. 28 ed. Otto: *ὥςπερ γὰρ οὐκ ὢν πρὶν ἢ γενέσθαι τίς ἤμην οὐκ ἐγίνωσκον, μόνον δὲ ἐν ὑποστάσει τῆς σαρκικῆς ὕλης ὑπῆρχον.*

2) c. 15. p. 68: *ἄσαρκος μὲν οὖν ὁ τέλειος θεός, ἄνθρωπος δὲ σάρξ.*

3) ib.: *δέσμος δὲ τῆς σαρκὸς ψυχή, σχετικὴ δὲ τῆς ψυχῆς ἡ σάρξ.* Ipsa vox *σχετική* Stoicae originis est cf. Ritter „Gesch. d. chr. Philos." I, p. 337.

4) c. 15 p. 66.

5) c. 13 p. 58 sq.: *οὐκ ἔστιν ἀθάνατος ἡ ψυχὴ καθ' ἑαυτήν, θνητὴ δέ . . . θνήσκει μὲν γὰρ καὶ λύεται μετὰ τοῦ σώματος . . . ἀνίσταται δὲ εἰς ὕστερον ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ κόσμου σὺν τῷ σώματι.*

6) c. 12 p. 52; ib. p. 56: *ἔστιν οὖν πνεῦμα ἐν φωστῆρσι, πνεῦμα ἐν ἀγγέλοις, πνεῦμα ἐν φυτοῖς καὶ ὕδασι, πνεῦμα ἐν ἀνθρώποις, πνεῦμα ἐν ζώοις· ἓν δὲ ὑπάρχον καὶ ταὐτὸν διαφορὰς ἐν αὐτῷ κέκτηται.*

7) c. 12 p. 52 sq.

8) c. 15 p. 68.

9) c. 15 p. 70.

Quae quidem de humanae naturae partibus et de arcta coniunctione inter corpus et animam, quippe quae ipsa pars universalis spiritus existimanda est, placita non ex Platonica schola pendere, sed arctissime cum Stoica disciplina cohaerentia exculta esse, egregie et subtiliter a Dunckero monstratum est [1]. Nam et Stoicorum universam doctrinae rationem respicientes, naturalium rerum proprietates nonnisi diversos gradus eos putare intelligimus; animam contra universalis spiritus partem, per omnem materiam permeantis iis visam fuisse, iam supra commemoratum est.

Verum enim vero maximum inter Stoicam et Tatianeam disciplinam discrimen esse, non minus promptum est. Non enim Stoicos secutus spiritum illum omnem materiam pervadentem ipsum Deum esse putabat; materiam autem idem ac Deum esse persuasum sibi Tatianus habebat: sed spiritum illum, quia materialem, dignitate locoque multum cedere Deo invisibili et incomprehensibili, quippe qui spiritus quasi superioris ordinis sit, spirituum materialium et firmarum in materia ipse opifex omniumque rerum tum visibilium tum invisibilium auctor et pater, apertis verbis docet [2]. Quem quidem summum Deum quum sine ullo corpore esse saepius gravissime contendat [3], Stoicorum placito Deum corporeum fingentium, impugnare nobis videtur. Ita et Stoicorum de conflagratione mundi doctrinae, variis temporibus iterata, christianam opponit, docens semel tantum illam conflagrationem eventuram esse. De quo inter christianam et antiquae philosophiae opinionem discrimine quum alio loco disputaverimus: quaenam caussae fuerint, quibus adducti viri docti Tatianum, Platonicorum formulas secutum, humanam naturam tripartitam esse censuisse, tam saepe contenderint, accuratius iam exponamus.

Qui quidem viri docti et Tatianum, ubi dicat, spiritum perfectum alas fuisse animae, eamque quum spiritum peccando proiecisset, volasse pulli instar et humi decidisse [4]), Platonem secutum volunt, quem etiam nobilissimam animae partem alas vocasse dicunt, quod per eam ad sublimium rerum contemplationem efferatur, partim ad opinionem magis tuendam Tatiani de divino spiritu cum primis hominibus communicato

---

1) V. Apologett. saec. II de essent. nat. hum. part. pl. Particula II, p. 5 sq.

2) cf. l. l. p. 6. Tat. Or. ad Gr. c. 4; c. 12.

3) c. 25 p. 104: *σῶμά τις εἶναι λέγει θεόν, ἐγὼ δὲ ἀσώματον.* c 15 p. 68. c. 4 p. 18: *ἀνθρωπίνοις οὐκ ἔστιν ὁρατὸς ὀφθαλμοῖς, οὐ τέχνῃ περίληπτος* (*ὁ θεός*) . . . . *πνεῦμα ὁ θεός.*

4) c. 20: *πτέρωσις γάρ ἡ τῆς ψυχῆς τὸ πνεῦμα τὸ τέλειον, ὅπερ ἀποῤῥίψασα διὰ τὴν ἁμαρτίαν, ἔπτη ὥςπερ νεοσσὸς καὶ χαμαιπετὴς ἐγένετο. μεταβᾶσα δὲ τῆς οὐρανίου συνουσίας τῶν ἐλαττόνων μετουσίαν ἐπεπόθησεν.*

sententias attulerunt. Nam quod dicit, hominem per logum factum esse imaginem immortalitatis, ut, quemadmodum immortalitas sit apud Deum, sic etiam homo divini numinis particeps, habeat immortalitatem [1]), sive alio loco docet, utrumque spiritum, quos esse noverint christiani, primis infuisse hominibus [2]), hominis igitur notionem perfectam non esse nisi animam incolat Deus per spiritum [3]); iam talibus sententiis tripartitam hominis naturam probare Tatianum voluisse, effici posse putabant.

At quod ad illum quo Tatianus utitur, Platonis locum, qui in Phaedro legitur, attinet, a Dunckero, qui plurimorum Tatianeae orationis locorum interpretationem dedit, maximum esse discrimen inter Tatiani et Platonis opinionem luce clarius ostensum est. Qui quum Platonis sententia propria hominis natura spiritualis sit et divina, Tatianum Stoicorum placita secutum, materialem eam et terrestrem circumscripsisse contendit. Animam corpore carentem et per se immortalem, principio pennatam et a ratione tamquam bigarum rectore ductam, iuxta Platonem, pennis demum amissis, corpori inclusam esse, iuxta Tatianum contra animam materialem, natura mortalem, absque initio cum corpore coniunctam, per spiritum divinum, tamquam alas suas, ad terram supercoelestem sursum esse elatam, tum vero quum peccando pennas amiserit, in hanc inferiorem terram propriam patriam, relapsam esse [4]).

Quod vero attinet ad sententias illas modo laudatas de indole protoplastorum, quos spiritu divino praeditos fuisse indicant, spiritualem quamdam hominum partem illis locis a Tatiano doceri, non est dubium, sed opinione eius accuratius explanata cum Platonicis naturam hominis definiendam eum negasse, facile est intellectu. Nam primi quidem homines utriusque generis spiritus participes facti sunt, et illius, qui omnem permeat materiam, et divini illius, qui etsi spiritu materiali similis factus, hoc tamen multo superior et praestantior est, utpote qui divinae essentiae sit, ut partim ex materia constent, partim materia praestantiores sint [5]). Quorum hominum conditio describitur felicissima;

---

1) c. 7 p. 30: *λόγος γὰρ ὁ ἐπουράνιος . . . εἰκόνα τῆς ἀθανασίας τὸν ἄνθρωπον ἐποίησεν, ἵνα, ὥσπερ ἡ ἀφθαρσία παρὰ τῷ θεῷ τὸν αὐτὸν τρόπον θεοῦ μοῖραν ἄνθρωπος μεταλαβὼν ἔχῃ καὶ τὸ ἀθάνατον.*

2) c. 12 p. 52.

3) c. 15 p. 70.

4) cf. Duncker l. l. p. 13 sq.

5) c. 12: *δύο πνευμάτων διαφορὰς ἴσμεν ἡμεῖς ὧν τὸ μὲν καλεῖται ψυχή, τὸ δὲ μεῖζον μὲν τῆς ψυχῆς, θεοῦ δὲ εἰκὼν καὶ ὁμοίωσις ἑκάτερα δὲ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις τοῖς πρώτοις ὑπῆρχεν, ἵνα τὸ μέν τι ὦσιν ὑλικοί, τὸ δὲ ἀνώτεροι τῆς ὕλης. c. 4: πνεῦμα γὰρ τὸ διὰ τῆς ὕλης διῆκον ἔλαττον ὑπάρχει τοῦ θειοτέρου πνεύματος, ὅπερ δὲ ψυχῇ παρωμοιωμένον οὐ τιμητέον ἐπίσης τῷ τελείῳ θεῷ, ἀλλ' οὐδὲ τοῦ ἀνωνόμασιον θεὸν δωροδοκητέον.*

nam cum logo coniuncti vivebant, non in hac terra, sed in paradiso, quem supra convexis coeli collocavit Tatianus, cui nulla tempestatum accidebat mutatio, ubi cuncta optime temperata erant, dies perpetuus lumenque nobis inaccessum splendebat [1]).

Sin vero addit Tatianus, neque angelos, neque homines inde ab initio boni naturam habuisse sed Deum utrosque liberos creasse, ut malus iure puniretur, siquidem sua culpa improbus factus esset, iustus autem ob recte facta iure laudaretur, qui libero usus arbitrio fas divinum transgressus non esset [2]): etiam in his sententiis, homines inde ab initio de originali suo statu deiici potuisse, aperte significat. Quod quum reapse factum sit, quumque homines angelum primogenitum et callidiorem assectati, hunc quamvis contra legem divinam obluctaretur, pro Deo haberent, logi potentia et inceptorem temeritatis, angelum illum primogenitum et eius sectatores sua consuetudine interdixit. Quo factum est, ut is quidem, qui ad imaginem Dei factus erat, discedente ab eo potentiore spiritu, mortalis redditus sit, ille autem primogenitus ob peccatum et ignorantiam daemon redditus sit [3]). Itaque non qui moreremur facti sumus, sed sua quisque culpa moritur. Reliquit eum libera voluntas; homo liber servus factus est; peccato venditus est, ita ut nihil mali a Deo factum esse, sed homines ipsos improbitatem fecisse fatendum sit [4]). Quem vero hominis lapsum ex anima ortum esse, clarissime ex ipsius Tatiani verbo apparet, quo docet, spiritum initio cum anima degentem, deinde hanc deseruisse [5]).

Quamvis igitur homo praestantissima parte orbatus sit, et anima spiritu carens, per se nihil sit nisi tenebrae nec quidquam in ea luminosum [6]), quamvis lapsorum hominum vivendi ratio brutis assimilata dicatur [7]), homo tamen homo esse non desinit. Nusquam enim mero spiritui hominis tribuitur nomen, corpus cum anima coniuncta saepissime ita appellatur. Anima quoque quia libera sit, quod olim amisit, requirere, et denuo cum spiritu sancto sese coniungere potest; quamvis nuda, spiritus ornatum consequi et ad veterem affinitatem redire [8]) eo-

---

1) c. 20 p. 90.

2) c. 7 p. 30.

3) c. 7 p. 32 et 34.

4) c. 11 p. 52: *οὐκ ἐγενόμεθα πρὸς τὸ ἀποθνήσκειν, ἀποθνήσκομεν δὲ δι' ἑαυτούς. Ἀπώλεσεν ἡμᾶς τὸ αὐτεξούσιον· δοῦλοι γεγόναμεν οἱ ἐλεύθεροι, διὰ τὴν ἁμαρτίαν ἐπράθημεν. Οὐδὲν φαῦλον ὑπὸ τοῦ θεοῦ πεποίηται, τὴν πονηρίαν ἡμεῖς ἀνεδείξαμεν·*

5) c. 13 p. 62.

6) c. 13 p. 60.

7) c. 15: *προῦχει τῶν θηρίων ὁ ἄνθρωπος κατὰ τὴν ἔναρθρον φωνὴν μόνον, τὰ δὲ λοιπὰ τῆς αὐτῆς ἐκείνοις διαίτης ἐστίν, οὐκ ὢν ὁμοίωσις τοῦ θεοῦ.*

8) c. 15 p. 66: *καὶ χρὴ λοιπὸν ἡμᾶς ὅπερ ἔχοντες ἀπολωλέκαμεν τοῦτο νῦν ἀναζητεῖν, ζευγνῦναί τε τὴν ψυχὴν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ καὶ τὴν κατὰ θεὸν συζυγίαν πραγμα-*

que ascendere potest, quo deducatur a spiritu[1]). Quibus quod legimus non obstat: *ψυχὴ οὐκ αὔτη τὸ πνεῦμα ἔσωσεν, ἐσώθη δὲ ὑπ' αὐτοῦ, καὶ τὸ φῶς τὴν σκοτίαν κατέλαβεν*[2]). Nam haec non ita sunt intelligenda, quasi homines utpote vi coacti spiritum sequi deberent, quod ex iis quae paucis verbis interiectis disserit Noster, haud immerito concludi putamus. Spiritum Dei non omnibus inesse docet, sed apud quosdam iuste viventes degentem et cum anima eorum complicatum, per praedictiones res ceteris animis absconditas nuntiasse; et quae quidem sapientiae paruerint cognatum sibi assumpsisse spiritum, quae vero non paruerint et ministrum Dei reiecerint, cum Deo potius pugnare quam colere eum deprehensas esse[3]). Quae quum ita sint ad novam cum spiritu coniunctionem ineundam humana voluntas in bono et iusto iam posita sit, necesse esse, nemini non apparebit, ne id quidem, quod homini spiritui resistendi et oppugnandi facultatem esse, nullo modo a Tatiano negetur.

Iam si summam eorum colligimus, quae in doctrinam Tatiani inquirendo effecimus: placita eius patet saepius Platonica dicta nihil ad Platonem pertinere, sed propinqua cognatione Stoicorum disciplinam attingere, quum naturam humanam, proprie dictam, ex anima et corpore constare velit, spiritum autem, quamvis ab ipso principio cum anima coniunctus et postea demum lapsu primi hominis amissus sit, animae et corpori superadditum esse.

At in omnibus his placitis magnam supra paucis circumscriptam, nunc accuratius explanandam cognoscimus vim, quam ethnica cogitandi ratio ad Tatiani disciplinam excolendam habuerit. Quamvis quas ex antiquorum philosophorum disciplinis accepit doctrinae commutatae sint, antiquum dualismum tamen opprimere non potuit, neque melius quam ipsis philosophis cogitando eum superare contigit nostro. Nam secundum Tatianeae doctrinae rationem spiritus et corpus, regnum coeleste et regnum humanum prorsus sibi opposita sunt, vinculum vero quo eam hominis partem qua ad humanum regnum pertinet, cum spiritu coniungi vult, cuius auxilio divinum ad regnum tollatur, nonnisi externum quoddam est. Etiamsi animae peccatrici, quae divinum spiritum sequi noluerit, scintillulas quasdam et fomitem quemdam virium spiritualium remansisse dicat, quibus mota Deum quidem quaerat, daemonum vero fraudes secuta, quum a spiritu separata quae perfecta sint

---

τεύεσθαι. c. 20 p. 90: *δυνατὸν δὲ παντὶ γυμνητεύοντι κτήσασθαι τὸ ἐπικόσμημα καὶ πρὸς τὴν συγγένειαν τὴν ἀρχαίαν ἀναδραμεῖν.*

1) c. 13 p. 62.

2) l. l. p. 60.

3) l. l. p. 62.

perspicere nequeat, multos deos effinxerit: talibus placitis a christiana fide postulata quidem sed ad totum systema nequaquam adaptata inconstantia inesse nobis videtur; immo vero alibi nusquam Tatianus ad has quae manent spiritus respicit particulas, neque naturalis hominum indolis, qua ad familiaritatem divinam idonei sint, quaeque imago Dei vulgo dicta etiam in lapsis remanserit, mentionem facit. Nam libertas, quam ne lapso quidem homini denegari posse existimat, animae inhaeret; divinam vero imaginem in immortalitate esse quaerendam, apertis verbis docet. Quin etiam omne quod inter regnum coeleste et hanc terram esse fatetur commercium, nonnisi in eo positum est, quod spiritus superior, quo res divinas cum humano genere communicare possit, cum nonnullis sese coniungat hominibus; homines divina quadam eruditione educari a Deo — quae sententia, eaque fecundissima et copiosissima, iam inter alios tum temporis doctores ecclesiae tantam habet vim — nusquam indicat; nusquam de vera inter Deum mundumque per Christum facta reconciliatione disserit. Quid? quum Tatianus coelum mundumque natura sua prorsus discrepantia inter se et contraria esse velit, quum inter eos qui divini spiritus participes facti sint quique eo careant, acerrime distinguat, nonne talis distinctio simillima est ei, quam apud Gnosticos legimus, qui nullam esse statuebant inter homines spirituales et psychicos similitudinem?

A quibus Tatiani doctrinis, ex ethnico dualismo pendentibus, dissentit Theophilus (quod disciplinâ eius paucis expositâ facile apparebit), quem a sententiis ceterorum apologetarum, christiana fide ductum, in excolenda illa de mundi creatione doctrina, discrepare vidimus. Libri eius etsi minus philosophico excellunt ingenio et antiquae philosophiae perfecta eruditione, non tamen Theophilum in doctrina sua subtilius excolenda et uberius disserenda nullam omnino placitorum philosophicorum tum longe lateque diffusorum rationem habuisse contendentes, rectum sequeremur. Nam ex nonnullis quas passim profitetur sententiis concludere possumus, quod philosophicis opinionibus quibuscum veritatem divinitus revelatam coniunxit, ut hanc ex illis magis perspicuam reddere conaretur, lucem afferet. Sicut enim quod ad doctrinam eius de logo attinebat, in maxima re cum ceteris apologetis eum consentire vidimus, aliae praeterea similitudines et cum Justini et cum Tatiani placitis reperiuntur, ubi de mundo et de homine disputat. Sic ubi biblicam de creatione mundi narrationem explanans dicit: *γῆν δὲ λέγει (ὁ προφήτης) δυνάμει ἔδαφος καὶ θεμέλιον, ἄβυσσον δὲ τὴν πληθὺν τῶν ὑδάτων· καὶ σκότος διὰ τὸν οὐρανὸν, γεγονότα ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἐσκεπεκέναι καθάπερ εἰ πῶμα τὰ ὕδατα σὺν τῇ γῇ· πνεῦμα δὲ τὸ ἐπιφερόμενον ἐπάνω τοῦ ὕδατος, ὃ ἔδωκεν ὁ θεὸς εἰς ζωογόνησιν τῇ κτίσει καθάπερ ἀνθρώπῳ ψυχὴν, τῷ λεπτῷ τὸ λεπτὸν συγκεράσας. τὸ γὰρ πνεῦμα λεπτὸν καὶ τὸ*

ὕδωρ λεπτὸν ὅπως τὸ μὲν πνεῦμα τρέφῃ τὸ ὕδωρ· τὸ δὲ ὕδωρ σὺν τῷ πνεύματι τρέφῃ τὴν κτίσιν διϊκνούμενον πανταχόσε. ἓν μὲν τὸ πνεῦμα φωτὸς τύπον ἐπέχον, ἐμεσίτευε τοῦ ὕδατος καὶ τοῦ οὐρανοῦ, ἵνα τρόπῳ τινὶ μὴ κοινωνῇ τὸ σκότος τῷ οὐρανῷ ἐγγυτέρῳ ὄντι τοῦ θεοῦ πρὸ τοῦ εἰπεῖν τὸν θεόν· γενηθήτω φῶς (Ad Autol. II. c. 13. ed. Mar.). Ad quas doctrinas excolendas Stoicorum placita vim habuisse quis est quin videat? cui Stoicae illae formulae quibus et Justinus et Tatianus uti solebant, πνεῦμα διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου vel πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γενέσει κόσμου in memoriam non revocarentur? Nam sicut Stoici, qui quamvis materiam et spiritum unam rem esse iudicabant, interdum ita discernunt, ut dicant [1]), materiam iacere inertem, rem ad omnia paratam, cessaturam si nemo moveat, caussam vero materiam formare et quocunque velit versare, varia opera ex ea producens, caussam per materiam permeare existimantes, eamque intus effingere: ita etiam Theophilus πνεῦμα illud (quod quidem de Spiritu Sancto intelligi non posse, iam antiquiores viri docti viderunt) [2]), mundum formare et res vita praeditas producere docet, cuius πνεύματος spiratione terram nutriri et omnia vivificari vult [3]). Ac sicut Stoici inter elementa agentia et patientia distinguendum esse putabant, agentia aërem et ignem dicentes, patientia terram et aquam [4]), simili modo Theophilus spiritum cum aqua coniungere videtur, ut uterque omnem nutriant creaturam, et ut singula corpora intrinsecus temperent atque animent.

Eadem vero differentia, quam inter Stoicorum disciplinam et Justini doctrinam esse, quamque a monotheismo postulatam diximus, etiam a Theophilo indicatur. Qui quamvis nonnullorum philosophorum opiniones cognoscit, spiritum illum omnia permeantem Deum esse decernentium [5]), talem sententiam manifesto non probat, immo loco supra laudato Deum largitum esse docet spiritum per omnem creaturam permeantem, ita ut si Deus spiritum omnia vivificantem secum retinere vellet, universum defecturum esset [6]). Non alia igitur apud Nostrum ratio esse videtur inter Deum et spiritum vitalem, nisi qualem apud Tatianum invenimus, quum dicatur, τὸ ὑλικὸν πνεῦμα inferius esse spiritu divino.

Cum quibus sententiis arctissime cohaerent Theophili de anthro-

1) Sen. Epist. 65, 6 ap. Ritter et Preller l. l. p. 448.

2) cf. Wolf Ed. Theoph. libr. III, p. 139. n. s).

3) cf. Ad Autol. I, 7: ὁ θεμελιώσας τὴν γῆν ἐπὶ τῶν ὑδάτων καὶ δοὺς πνεῦμα τὸ τρέφον αὐτὴν οὗ ἡ πνοὴ ζωογονεῖ τὸ πᾶν. Nam verbum relativum οὗ ad πνεῦμα referendum esse non est quod dubitemus.

4) cf. Ritter et Preller p. 457.

5) Ad Autol. II, 3.

6) I, 7: ὃς ἐὰν συσχῇ τὸ πνεῦμα παρ' ἑαυτῷ ἐκλείψει τὸ πᾶν.

pologia placita. Deum enim spiritum vitalem mundo largitum esse, sicut hominis corpori animam [1], eamque ex motu corporis intelligi dicit [2]; quas definitiones qui accuratius inspexerit, nequaquam dubitare poterit, animam totum corpus permeare voluisse Theophilum, Stoicorum placita secutum. Qui etiam divinam revelationem omnibus communem esse simili modo quo Justinus, qui hanc revelationis universalitatem ad rationem seminalem referebat, contendit. Quo quod homines spiritum Dei spirare dicit, pertinere videtur [3], neque minus id quod pagano, qui fortasse postulaturus sit, Theophilum Deum suum ostendere, respondet; Age, ergo ostende mihi hominem tuum, et quis meus sit Deus, ostendam. Animi tui oculos praebe videntes, ostende an audiant aures cordis tui. Videtur enim Deus ab iis, qui eum videre possunt, si quidem oculos mentis apertos habent. Omnibus quidem sunt oculi; at quorundam adeo sunt suffusi, ut solis lucem intueri nequeant. Neque quia caeci non vident idcirco lux solis non lucet, sed seipsos potius suosque oculos culpent caeci. Ita et homo oculos quasi mentis suffusos habet per peccata et malas actiones, peccatoque occupatus Deum videre non potest [4].

In his sententiis Dei cognitio pendere dicitur ex corde peccatis libero, ita quidem ut generi humano sit progressus quidam adolescendi; sicut primus homo infans fuisse putandus est, cuius sapientia paullatim demum incrementa facere potuit, quum pueros praeter aetatem sapere, indecorum sit [5]. Quum vero Deus mundum instruxerat homini [6], eiusque potestati et imperio omnia subiecerat [7], ut ei innotesceret [8], et quum haec Dei cognitio annexa esset obedientiae erga Deum, liberum Deus et suo ipsius arbitrio degentem fecit hominem. Itaque boni et mali eligendi libertas homini est data, ut observando Dei mandata ad immortalitatem ductus pro praemio immortalitatem accipiat ab eo et Deus fiat (*ἵνα εἰ ῥέψῃ ἐπὶ τὰ τῆς ἀθανασίας, τηρήσας τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, μισθὸν κομίσηται παρ᾽ αὐτοῦ τὴν ἀθανασίαν κτλ.*), sin vero declinaverit in viam mortalem non obediens Deo ipse sibi mortis auctor sit [9]. Nam geminus homo a Deo factus erat, neque plane mortalis,

---

1) II, 13.
2) *καθάπερ — — διὰ — τῆς κινήσεως τοῦ σώματος νοεῖται ἡ ψυχή.*
3) I, 7: *τούτου (τοῦ θεοῦ) τὸ πνεῦμα ἀναπνεῖς, τοῦτον ἀγνοεῖς.*
4) cf. I, 2.
5) II, 25.
6) II, 10.
7) II, 18.
8) II, 10: — — *ἠθέλησεν ἄνθρωπον ποιῆσαι ᾧ γνωσθῇ τούτῳ οὖν προητοίμασε τὸν κόσμον.*
9) II, 27.

neque prorsus immortalis, sed utriusque capax, sicut et paradisum, quantum ad pulchritudinem medium quoddam coeli et terrae tenere docet [1]). Deus si hominem immortalem ab initio fecisset, Deum eum fecisset, contra si mortalem, caussa ei mortis videretur esse [2]).

Viam autem qua homo ad summum cuius ope Deus fiat pervenire possit principium, talem enarrat: *μετέθηκε δὲ αὐτὸν ὁ θεὸς ἐκ τῆς γῆς, ἐξ ἧς ἐγεγόνει, εἰς τὸν παράδεισον, διδοὺς αὐτῷ ἀφορμὴν προκοπῆς ὅπως αὐξάνων καὶ τέλειος γενόμενος, ἔτι δὲ καὶ θεὸς ἀναδειχθεὶς οὕτως καὶ εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβῇ* [3]). Iam hae quibus utitur notiones *ἀφορμὴν προκοπῆς* ad Stoicae philosophiae formulas nos revocant, nam Stoici *προκοπήν* medium esse virtutis et vitii negabant quidem, non vero profectum virtutis esse prorsus nolebant [4]). Quas quidem notiones ex Stoica philosophia originem duxisse, maiorem etiam conciliare videtur verisimilitatem, quum Theophilum cum summo Stoicorum praecepto morali consentire videamus, idque ea ratione, ut ad Christianae doctrinae formam praeceptum illud accommodet. Homo enim qui peccavit ob peccatum paradisum amisit et in priorem quemdam statum pervenit. Itaque non potest cernere Deum quippe qui peccatoribus non apparet, nisi omni labe antea expurgatis; immo tanta est ex Theophili sententia vis peccati, ut non solum hominem brutis parem factum esse doceat, sed etiam naturam, quippe quae bona, immo optima a Deo creata sit, hominis peccato vitiatam et degeneratam esse dicat, quemadmodum dominus honeste degens necessitatem servis afferat recte vivendi, sin autem peccaverit, eadem servi peccent [5]).

Quaerentibus nobis, quomodo homo a peccato liberari et natura in pristinum statum restitui possit, Theophilus hominem ait ad id redire debere, quod secundum naturam sit [6]); quae quidem formula non alia est praeter notissimum illud Stoicae de moribus doctrinae principium quod etiam Justinum secutum esse, supra narravimus. Sin vero quaeratur, quaenam ex Theophili sententia vivendi ratio naturam sequatur, dubitari non potest, quin nullam aliam voluerit, quam quae lex divina et sancta Dei praecepta praeceperunt. Quod iniuria et contumacia amiserat homo, id ei donat Deus, qua est humanitate et misericordia. Leges enim homini traditae sunt ab hominibus divinitus doctis et sanctis et iustis, utpote ab ipso Deo afflatis et eruditis, quibus Dei

---

1) II, 24. 2) II, 27. 3) II, 24.

4) cf. Ritter et Preller l. c. p. 469 sq. De Stoicorum doctrina de *ὁρμαῖς* v. Ritter Geschichte der Philosophie III, p. 614 sqq.

5) II, 17.

6) l. l. *ὁπόταν οὖν πάλιν ὁ ἄνθρωπος ἀναδράμῃ εἰς τὸ κατὰ φύσιν μηκέτι κακοποιῶν.*

logos tamquam organis usus est [1]. Itaque homo si Deo se dat, qui optimus medicus per logon suum et sapientiam sonat et vivificat [2], secundum hasce divinas leges caste et pie et iuste degens, Deum videre poterit, perfectamque eius cognitionem assequi, mortalitate deposita et immortalitate induta. Quae resurrectio non solum animae sed etiam corporis erit, utroque coniuncto [3].

Iam denique si in quibus Theophili sententiis Stoicae philosophiae vestigia cognosci invenimus, breviter complectimur sunt fere haec: Theophilus mundum animatum et permeatum putat esse a spiritu vitali, sine quo, quamvis pendeat ex Dei nutu, mundus constare non possit. Porro duas essentiales hominis partes distinguit et naturam humanam ex anima et corpore constare docet, nullum prorsus commemorans substantiale principium, a cuius nexu et vinculo immortalitas pendeat. Utraque pars quum genita sit, etiam mortalis est, ita quidem ut anima ratione et libero arbitrio insignis, talem vivendi rationem sequi possit, qua ad immortalitatem evehatur. Sed quamvis homo libero arbitrio ita sit usus, ut a Deo deficiens, secundum naturam vivere non voluerit, Deus eum perdere noluit, sed per logum et sapientiam et per viros, logo inspiratos, legem divinam revelavit, ad quam quo nos convertamus, eamque secuti vitam immortalem et divinam quamdam assequamur, strenue studere debemus.

Itaque quam brevis doctrina a Theophilo exposita et quam breviter indicatae eius sententiae, maxime eum cum Justino consentire videmus. Sed quod homini iam ab initio recte vivendi facultas data esse dicatur, nescio an inde recte derivari possit, utrum simili quo Justinus modo doctrinam de seminali ratione acceperit, necne. Saepius enim magna laboramus difficultate, quî sententias breviter indicatas ad systema revocare possimus.

Minus breviter quam Theophili disciplina, etiamsi non accuratissime neque omni ex parte, illustrata sunt Athenagorae placita, cuius ut doctrinas de mundo et de homine examinemus et si quae antiquae philosophiae in iis inveniantur vestigia, fontem ex quo hauserit, indicemus, necesse est, antequam dissertationis nostrae finem faciamus. Iam ubi doctrinam eius de Deo perscrutati sumus, quacum doctrinas de logo, de angelis, de creatione coniunximus, magnam antiquae philosophiae ad eas excolendas fuisse vim, et a Platone imprimis multa eum derivasse,

---

1) II, 9 et 10.

2) I, 7: *ἀλλὰ εἰ βούλει δυνάσαι θεραπευθῆναι κτλ.*

3) I, 8: — — *καὶ τότε συνήσεις ταῦτα ὅταν ἀπόθῃς τὸ θνητὸν καὶ ἐνδύσῃς τὴν ἀφθαρσίαν, τότε ὄψει κατ' ἀξίαν τὸν θεόν. ἀνεγείρει γάρ σου τὴν σάρκα ἀθάνατον σὺν τῇ ψυχῇ ὁ θεός· καὶ τότε ὄψει γενόμενος ἀθάνατος τὸν ἀθάνατον.*

probavimus. Immo, si id disquisitionis nostrae propositum esset et a nobis ageretur, ex omnibus Athenagorae scriptorum partibus, Platonicum eum egisse, facillime demonstrari posset; praeterea libri eius et imprimis is qui exstat de resurrectione mortuorum, tam philosophico sermonis genere conscripti sunt, et eruditio eius philosophorum ex scholis petita tam manifesta, ut antiquae philosophiae vestigia si quae in his libris inveniantur, nullo modo mirari possimus, ex contrario vero si philosophicarum disciplinarum vis apud eum reperiretur nulla, sane esset quod miraremur.

Athenagorae de creatione et de mundo creato placita, non mere christiana, vel si christiana, non satis aperte neque satis clare expressa esse, ut christiana cognosci possent, sed reliquias quasdam antiqui dualismi in iis inveniri, infitias ire non potuimus. Non minus perspicuus idem iste dualismus cognoscitur, quum quamvis angelis liberum arbitrium esse nullo modo negare velit Athenagoras, spiritui contra Deum exsurgenti animus materiae studiosus obiiciatur [1]). Est quidem fatendum, totam patrum ecclesiasticorum daemonologiam ex certa quadam philosophica disciplina deduci non posse, quum potius elementa, quibus exstrueretur, ex communi illius temporis sentiendi ratione sumerent, qua iudaicae et ethnicae opiniones coniungerentur. Narrationi unde doctrinarum exordium ducerent, notissimus ille locus Gen. VI, 2 inserviebat, quo ad ea quae de angelis narrarent, librorum sacrorum testimoniis niti probanda, saepius utebantur apologetae [2]). Quibus accedit quod accuratior doctrinarum de daemonibus conformatio in disciplinis Platonis, Stoicorum aliorum nonnisi obsequentia quaedam erat philosophorum, popularibus opinionibus concessa, vel mythicus quidam philosophicarum sententiarum vestitus, quem ex communi mutuabantur mythologia. Attamen Platonismi vis prompta in eo et aperta est, quod Athenagoras non aliter atque Justinus daemones defecisse putabat, quia in res mundanas vel terrenas inclinassent [3]).

Quae quum ita sint Platonismi auctoritatem Athenagorae de homine doctrinam una complecti, nonnulli viri docti censebant. Itaque Athenagoras iuxta Platonis placita statuisse videri dicitur, Deum ab initio plures creasse animas, quae in corpora humana identidem descendant; quam sententiam ut defendat vir doctissimus, Clarissius [4]) locum

---

1) cf. Suppl. pro Chr. c. 27.

2) l. l. c. 11: *ἔστι δὲ μηδὲν ἡμᾶς ἀμάρτυρον λέγειν ἃ δὲ τοῖς προφήταις ἐκπεφώνηται μηνύειν.*

3) Baumgarten-Crusius l. l. p. 990. n) V. praeterea Keil l. l. p. 566 sqq. Semisch l. l. II, p. 387.

4) l. l. p. 109.

quemdam laudat libelli de resurrectione mortuorum [1]), quo Athenagoram de recordatione animarum disputasse dicit.

Quae quidem sententia utrum recta sit necne, et quid de Platonismo Athenagorae in eius de humana natura doctrinis iudicandum sit, nunc in medio relinquatur, et nondum decernatur, utrum illo a Clarissio loco laudato, id quod voluerit vir doctus, re vera contineatur. Quo cautius agamus, proximum erit, ut Athenagorae de humanae naturae partibus sententias recenseamus, ac tum demum investigemus, quaenam sit philosophiae formula quamque vim in doctrina eius accuratius conformanda habuerit.

Athenagoras in definienda natura humana aperte a biblica narratione Gen. I et II proficiscitur [2]). Cuius auctoritatem secutus, hominem duabus partibus constare dicit, anima et corpore [3]). Neque anima per se ipsam, neque corpus per se sine anima, hominis notionem perficit; humana creatura integra est nonnisi duabus quibus constat partibus permanentibus. Itaque neque soli animae naturae neque corporis naturae separatim Deus creationem aut vitam et totam vitae rationem destinavit, sed coniunctis ex utroque hominibus, ut quibus ex rebus constant statim nascentes et quibus vivunt, cum iisdem vitâ peractâ ad unum aliquem et communem perveniant finem. Quare necesse est omnino ut quum ex utrisque unum sit animal (*ἑνὸς ὄντος ἐξ ἀμφοτέρων ζώου*) quia quaecumque anima et corpus patitur, operatur, perficit, quaecumque sensuum aut rationis iudicio continentur, tota eiusmodi rerum series ad unum aliquem finem referatur, ut omnia in omnibus ad unum concentum eamdemque omnium affectionum societatem concurrant, hominis creatio, natura, vita, actiones et perpessiones, vitae ratio et naturae conveniens finis. Quibus sententiis convenienter si quando quasi per se ipsam constare possit, de anima loqui videatur Athenagoras, intelligendum est; praeterea neque semel tantum, animam quam per corporis membra diffusam dicit [4]), per se nihil valere apertis verbis contendit. Ex qua necessaria animae cum corpore coniunctione gravissimum petit argumentum Athenagoras, quo christianam de resurrectione mortuorum doctrinam defendat et illustret. Est autem cogitationum series haec: Si unus aliquis est totius animalis concentus rerumque omnium societas, sive ab anima proficiscantur, sive corpore effi-

---

1) c. 14.

2) Suppl. c. 33 p. 174: *ὅτι ἐν ἀρχῇ ὁ θεὸς ἕνα ἄνδρα ἔπλασε καὶ μίαν γυναῖκα.* Cf. Gen. I, 27.

3) De resurrect. *ἔστι μὲν γὰρ οὗτος ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος:* c. 12; c. 13; c. 18; c. 21: *λέγοντες ὀρθῶς διὰ τὸ μίαν ἐξ ἀμφοτέρων εἶναι τὴν τούτου ζωήν.*

4) l. l. c. 16. — — *οὐδ' ἐπειδὴ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ τῶν τοῦ σώματος μερῶν καὶ μορίων διάλυσις τὴν συνεχῆ διακόπτει ζωήν.*

ciantur, unum oportet esse his omnibus finem. Finis autem unus revera erit, si animal integre exstabit, sin omnia ex quibus animal tamquam ex partibus componitur, eodem exstent. Eadem autem secundum propriam coniunctionem exstabunt, si quae dissoluta sunt, iterum ad animalis constitutionem coalescant. Eorumdem autem hominum constitutio necessario consequentem mortuorum et dissolutorum corporum resurrectionem demonstrat; nam absque ea numquam inter se eaedem partes secundum naturam coniungentur, neque eorumdem hominum natura constiterit [1]). Qua hominum natura non permanente, inutile est quidquid praeclari in hominibus et propter homines (propter homines autem totus mundus creatus est). Quum vero in omnibus omnino Dei operibus donisque ab eo donatis, nihil sit loci rebus inutilibus, necesse est omnino, ut animae perpetuitati respondeat perpetua corporis secundum propriam naturam permansio [2]). Quum porro talis inter animam et corpus, mentem (*νοῦν*) et rationem (*λόγον*) sit necessitudo, quamvis animae inhaereant (nam corpus per se diiudicandae legis et iustitiae expers est) [3]), non tamen propter solam animam sed propter totam hominis naturam datas esse, vult Athenagoras [4]), ita ut neque rationale iudicium (*ἡ λογικὴ κρίσις*), permaneat, non permanente natura, quae hoc rationale iudicium excipiat.

Est autem animae proprium munus corporis desiderium regere [5]), corpus autem secundum naturam ad ea, quae congruunt, moveatur, necesse est [6]), ut vivat homo et agat secundum insitam legem et rationem (*κατὰ τὸν ἔμφυτον νόμον καὶ λόγον*). In qua insita ratione hominibus propria, quaerendum est quale sit inter belluas et homines discrimen; propter quam rationem proprius hominibus finis non erit indolentia; qui quidem finis communis iis esset cum animalibus sensu carentibus [7]). Nam homines ita compositi quum mente praediti et ratio-

---

1) De resurr. c. 15.

2) Ib.: *τῆς δὲ τῶν ἀνθρώπων φύσεως* (sc. *σώματος καὶ ψυχῆς*) *μὴ διαμενούσης* — — — (*μάταιον*) *πᾶν ὅ τι περ ἐν ἀνθρώποις καὶ δι' ἀνθρώπους καλόν, μᾶλλον δὲ καὶ αὐτὴ τῶν ἀνθρώπων ἡ γένεσίς τε καὶ φύσις. Εἰ δὲ πάντων καὶ πανταχόθεν ἀπελήλαται τῶν ἔργων τοῦ θεοῦ καὶ τῶν ὑπ' ἐκείνου διδομένων δωρεῶν τὸ μάταιον, δεῖ πάντως τῷ τῆς ψυχῆς ἀτελευτήτῳ συνδιαιωνίζειν τὴν τοῦ σώματος διαμονὴν, κατὰ τὴν οἰκείαν φύσιν.* ib. c. 12: *οὐδὲν τῶν ὑπὸ θεοῦ γενομένων μάταιον κατά γε τὴν τοῦ ποιήσαντος γνώμην.*

3) *ἄκριτον γὰρ τοῦτο* (sc. *τὸ σῶμα*) *καθ' ἑαυτὸ νόμου καὶ δίκης.* l. l. c. 18 p. 264.

4) *ὁ δὲ καὶ νοῦν καὶ λόγον δεξάμενός ἐστιν ἄνθρωπος, οὐ ψυχὴ καθ' ἑαυτήν.* l. l. c. 15.

5) l. l. c. 12: *πέφυκε δὲ* (*ἡ ψυχή*) *ταῖς τοῦ σώματος ἐπιστατεῖν ὁρμαῖς.*

6) — — — *τοῦ δὲ σώματος κινουμένου κατὰ φύσιν πρὸς ἃ πέφυκεν* — — l. l.

7) l. l. c. 24.

nale iudicium sortiti sint, ipsius creatoris simulacrum in se ipsis ferunt, et per ipsum logon cognationem quamdam habent cum Deo, cuius ut potentiam et sapientiam cognoscant, et in aeternum permaneant. Ad quem *ἔμφυτον λόγον* etiam id referri videtur, quod ab Athenagora docetur, poëtas et philosophos, quum alias res attigerint, tum etiam de numine divino quaestionem aggressos esse pro cognatione divini flatus a sua quemque anima impulsos ut tentarent, num veritatem invenire et intelligere possent [1], ita quidem, ut plene perfecteque veritatem non cognoscerent. Nam homines non secundum logum vivebant, neque ad coelum eiusque creatorem sese elevabant, sed humana spectabant; ita ut daemones si quando mollem inveniant animam, levi incitamento huc illuc impellendam, neque Dei rerumque divinarum cognitione satis instructam, in hanc irruant, eamque iam per se ipsam turbatam vanis *φαντασίαις* magis etiam fallant, et sic ad omnia peccata secum trahant [2]. Quae quidem peccata neque ad unum corpus, neque ad unam animam, sed ad totum pertinent hominem. Quare iniustum quoque esset, solam animam remunerari aut puniri, quum etiam corpus bene et male factorum particeps fuerit, immo virtus et vitium ne cogitari quidem possint in sola anima, neque leges soli animae sed toti homini innatae sint [3].

In quibus hucusque commemoratis sententiis Athenagoram profectum esse ab opinione, hominem nonnisi ex anima et corpore constantem esse perfectum, neque unum eundemque esse anima a corpore separata, facile intelligitur. Itaque si quidem mors sit decessio animae e corporis membris sive discidium animi et corporis [4], animam statim post mortem, dum a corpore seiungitur, non veram et plenam vitam, sed nonnisi speciem quamdam degere vitae, tandem vero denuo coniunctam cum corpore resuscitato, ad plenam vitam perventuram esse, concludere possumus. Qua nova animae cum corpore coniunctione perfecta, homo corruptionis expers domicilium assecutus est, ex immutatione incorruptionem.

Haec fere sunt, quae apud Athenagoram de hominis natura placita inveniuntur. Quibus expositis iam si quaerimus, cum quanam philosophiae formula optime quadrent, et cuinam a viro eruditissimo accommodata sint, Platonem eum non secutum esse, ante oculos posi-

---

1) Suppl. c. 7 p. 36: *ποιηταὶ καὶ φιλόσοφοι ὡς καὶ τοῖς ἄλλοις, ἐπέβαλον στοχαστικῶς, κινηθέντες μὲν κατὰ συμπάθειαν τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ πνοῆς ὑπὸ τῆς αὐτὸς αὑτοῦ ψυχῆς ἕκαστος ζητῆσαι, εἰ δυνατὸς εὑρεῖν καὶ νοῆσαι τὴν ἀλήθειαν.*

2) cf. Clarisse l. l. p. 110.

3) De resurrect. c. 21; 22; 23.

4) l. l. c. 16.

tum est. Nusquam enim animam corpori tempore praecedere, nusquam regiae divinae mentis particulam eam esse legimus. Ex magna illa quam corpori tribuit vi, et ex doctrina saepissime iterata hominem sine corpore non esse hominem, cum Platonicis sententiis eum non consensisse patet. Nec minus Platonis sententias de corporibus quasi vinculis animarum carceribusque, a quibus animae liberentur necesse sit, ut divini numinis spectandi participes fiant, ab Athenagora reprobari, apertum est, quum doceat, animam una cum corpore resuscitato plenam impetraturam esse beatitudinem. Nihil praeterea de tertia quadam hominis natura, nihil de animarum in alia corpora migratione habet, omnium denique Platonis placitorum quibus propria Platonicae anthropologiae indoles cernitur, nullum reperimus apud Athenagoram.

Neminem contra, qui Athenagorae dictis accuratius consideratis cum Stoicorum placitis ea contulerit, magnam inter utraque placita cognationem latebit esse.

Stoicae philosophiae quanta fuerit auctoritas ad excolendas Athenagorae doctrinas saepius cognoscitur. Jam in logicis illius disciplinae vestigia reperiri videntur, quum discrimen faciat inter prima principia, quae ut confirmentur sola opus esse admonitione ad naturalem notionem excitandam et inter ea, quae secundum naturam ex primis consequantur. *Ἡ τῶν τῆς ἀληθείας δογμάτων ἢ τῶν ὁπωσοῦν εἰς ἐξέτασιν προβαλλομένων ἀπόδειξις, τὴν ἀπλανῆ τοῖς λεγομένοις ἐπιφέρουσα πίστιν, οὐκ ἔξωθέν ποθεν ἔχει τὴν ἀρχήν, οὐδ' ἐκ τῶν τισι δοκούντων ἢ δεδογμένων, ἀλλ' ἐκ τῆς κοινῆς καὶ φυσικῆς ἐννοίας ἢ τῆς πρὸς τὰ πρῶτα τῶν δευτέρων ἀκολουθίας. Ἢ γὰρ περὶ τῶν πρώτων ἐστὶ δογμάτων καὶ δεῖ μόνης ὑπομνήσεως τῆς τὴν φυσικὴν ἀνακινούσης ἔννοιαν, ἢ περὶ τῶν κατὰ φύσιν ἑπομένων τοῖς πρώτοις καὶ τῆς φυσικῆς ἀκολουθίας, καὶ δεῖ τῆς ἐπὶ τούτοις τάξεως, δεικνύντας τί τοῖς πρώτοις ἢ τοῖς προτεταγμένοις ἀκολουθεῖ κατ' ἀλήθειαν κτλ.* (De resurrect. c. 14.).

Qui quidem locus idem est, quem Clarissius laudavit, quo Athenagorae Platonismum probaret. Attamen neque hoc loco de Platonica idearum recordatione locutus est Athenagoras: quae Platonis opinio propterea a serioribus philosophis nusquam refelli videtur, quod ipsum tempus de ea iam diu iudicaverat [1]).

Ex contrario haec *φυσικῆς ἐννοίας* notio ad Stoicae philosophiae formulam nos revocat, ita ut hanc cohaerentem inveniamus cum tota quam velit apologeta noster naturae humanae ratione [2]). Neque id

---

1) Ritter, Geschichte der Philosophie III, p. 533.

2) Quo etiam id spectare videtur quod dicit de *κοινῇ πάντων ἐννοίᾳ ἐκδιδασκούσῃ ἡμᾶς* c. 24. cf. c. 14; 24 et 25. De Stoicorum doctrina v. Ritter l. l. p. 545 sq.

quoque sententiae nostrae, Athenagoram in doctrina sua de hominis partibus excolenda a Stoicorum disciplina profectum esse, obstat, quod mortem animae a corpore discessionem dicat, quum ipsi Stoici, minus quidem firmi sibique constantes animas post mortem vitam quamdam degere voluerint, etsi pervariae sint opiniones, si accuratius quae de animarum statu post mortem impetrando voluerint, examinaveris [1]). Athenagoras vero ad illas Stoicorum sententias a christiana fide postulatam de resurrectione mortuorum doctrinam adaptabat, coniunctionem animae cum corpore etiam post mortem, ne hominis integritas dissolvatur permanere contendens. Nam ut idem corpus eadem anima recipiat, fieri nonnisi resurrectione potest; hac enim perfecta conveniens naturae hominum sequitur finis [2]).

Neque minus cum Stoicorum doctrinis de hominibus, logo et rationali iudicio praeditis, quo logo cognationem quamdam cum summo numine habeant et a bestiis discernantur, Athenagoram in doctrina sua supra a nobis exposita consentientem vidimus [3]). Et profecto si accuratius perpenderimus quae de summo praecepto morali Athenagoram docuisse attulimus, Justini doctrinis simillima, quin etiam in iis Stoicorum vis cognoscatur, ita ut Stoicae formulae christianae fidei accommodatae sint, dubitari non potest. Quid? quod etiam illius Stoicorum placiti quo spiritum quemdam per totam materiam permeare volunt, vestigia apud Athenagoram inveniantur? Nam quum dicat, daemonas, itidem ut malos angelos, qui nidoris avidi ad simulacra homines trahant, eorumque quibus statuae erectae sint, nomina sibi arrogent, perficere ut ad infirmas animas, quasi a simulacris fieret, visa inania effluant — id animam tum maxime pati docet, quum materiae spiritum sibi adsciscat eique commisceatur, non ad coelestia eorumque opificem sed deorsum ad humana spectans [4]). Cui haec legenti Tatiani quas exposuimus doctrinae in mentem non venerint? Nam hoc *ὑλικὸν πνεῦμα*, materiam permeans, idem est, quod Stoici quidem ipsum Deum esse volebant, christiani vero apologetae longe a supremo et dictu maiore Deo distare docebant. Quae vero quum nimis breviter indicata

---

1) Ritter l. l. p. 606 sqq.

2) De resurrect. c. 25: *τὸ δ' αὐτὸ σῶμα τὴν αὐτὴν ψυχὴν ἀπολαβεῖν ἄλλως μὲν ἀδύνατον, κατὰ μόνην δὲ τὴν ἀνάστασιν δυνατόν· ταύτης γὰρ γενομένης, καὶ τὸ τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων πρόσφορον ἐπακολουθεῖ τέλος.*

3) De resurrect. c. 25.

4) Suppl. c. 27: *πρῶτα μὲν αἱ τῆς ψυχῆς ἄλογοι καὶ ἰνδαλματώδεις περὶ τὰς δόξας κινήσεις ἄλλοτε ἄλλα εἴδωλα, τὰ μὲν ἀπὸ τῆς ὕλης ἕλκουσι, τὰ δὲ αὐταῖς ἀναπλάττουσι καὶ κυοῦσι· πάσχει δὲ τοῦτο ψυχὴ μάλιστα τοῦ ὑλικοῦ προςλαβοῦσα καὶ ἐπισυγκραθεῖσα πνεύματος, οὐ πρὸς τὰ οὐράνια καὶ τὸν τούτων ποιητὴν ἀλλὰ κάτω πρὸς τὰ ἐπίγεια βλέπουσα καθολικῶς εἰς γῆν.*

sint et alius locus hunc nostrum illustrans et accuratius explicans inveniatur nullus, nescio utrum ex eo Athenagoram Stoicorum doctrinam eodem modo quo a Tatiano factum esse vidimus, ad fidem christianam revocasse concludi possit necne.

Haud aliter nobis diiudicandum erit de alio loco, quo spiritus sanctus tamquam anima mundi affertur. Nam sicut Platonem atheum non fuisse monstrat, quippe qui unum omnium opificem intellexerit Deum infectum (*ἕνα τὸν δημιουργὸν τῶν ὅλων νοῶν ἀγένητον θεόν*) ita neque christianos atheos esse contendit, quia a quo omnia per logon fabricata sint et cuius spiritu contineantur eum agnoscant et teneant Deum [1]). Cui vero opinioni neque aliis sententiis neque aliis locis illustratae, non multum tribuendum esse videtur. Nam facillime fieri potuit, ut Athenagoras modo Platonis sententiis expositis, Platonicae philosophiae formulam quamdam amplexus sit, fore sperans, ut eo facilius adversarios christianos atheos non esse, convinceret.

Utcumque res sit, etiam ad Athenagorae, sicut ad ceterorum apologetarum doctrinas excolendas magnam antiquam philosophiam vim habuisse, luce clarius patescit.

Quibus enarratis iam ad finem disquisitionis nostrae venimus. Quod iam initio antequam ad singulas doctrinas examinandas aggressi sumus, praecepimus, re vera evenit: nam apologetae qui primam ex philosophorum scholis hauserant eruditionem et tumdemum rem christianam sequebantur, quum ceteras doctrinas utpote summis ingenii desideriis non satisfacientes, bono consilio repudiare et eiicere possent, postea vero christianismum defendere absque aliorum impugnationibus tueri suscipiebant, iisdem armis usi, quibus usque adeo eruditi philosophi ad doctrinas christianas refellendas usi fuerant — christianas sententias quas ad artem revocare sibi proposuerant, non statim omnibus ex partibus ad finem perducere et certis firmisque finibus circumscribere poterant. Qui quum plerumque ita philosophorum placitis usi sint, ut christianae fidei eas accommodarent, non miramur, quod ethnica sentiendi ratio, quam fide quidem superaverant, ad disciplinas ab iis excultas ita nonnumquam valuerit, ut principium christianum minus perfectum sit. Nam quae fide continentur ad artem revocare, id ut supra iam dictum est, omnium temporum theologiae propositum est; atque si utique christianismi indoles ad parabolam quamdam domini comparari potest cum fermento, quod in tribus farinae satis abscondatur, donec fermentatum sit totum, si utique omnia ab evangelio

---

1) Supplic. c. 68: *εἰ τοίνυν οὐκ ἔστιν ἄθεος Πλάτων, ἕνα τὸν δημιουργὸν τῶν ὅλων νοῶν ἀγένητον θεόν, οὐδὲ ἡμεῖς ἄθεοι, ὑφ' οἷ λόγῳ δεδημιούργηται καὶ τῷ παρ' αὐτοῦ πνεύματι συνέχεται τὰ πάντα τοῦτον εἰδότες καὶ κρατοῦντες θεόν.*

explorentur necesse est, ut in omnibus rebus κρίσις quaedam fiat, qua facta, quodcumque bonum sit, adaptetur, et adaptatum praeclariore ornetur specie, quodcumque vero malum sit, secernatur: non vituperandi videntur philosophi, notionibus usi et philosophicis formulis, ab antiqua philosophia accurate excultis. Accedit quod ipsa philosophia gravissima erat instruendorum hominum ratio, ut christianismum amplecterentur. Nam exorta ex humani ingenii desiderio, cui polytheismus nequaquam sufficiebat, inde a primordiis huic contraria erat. Quum vero doctrinae christianorum apologetarum philosophorum placitis iungebantur, quantacunque fuerit vis antiquae sentiendi rationis ad excolendas eorum sententias et quamvis doctrinae eorum interdum aberraverint a christiano principio, nusquam tamen id ita reliquerunt, ut philosophia magis iis valuerit, quam evangelium. Immo quae satis rhetorice sane in extrema ad Gentiles dicuntur Oratione: „Vis logi non quidem poëtas efficit, non philosophos reddit, neque oratores insignes sed docens facit ex mortalibus immortales, ex hominibus Deos, e terra autem transfert in terminos ultra Olympum. Accedite, docemini, estote ut ego quoniam et ego eram ut vos. Haec me ceperunt et doctrinae vis divina et logi efficacia, quemadmodum enim incantator peritus formidabilem serpentem fugat, posteaquam fecit, ut ex latibulo ereperet, sic logos ex intimis animi penetralibus formidabiles sensuum expellit affectus: cupiditate vero expulsa tranquillitatem anima et serenitatem consequitur" — haec talia sunt, quae ceteri quoque apologetae et experti erant et pie credebant. Id tamquam argumentum totius eorum et cogitandi et scribendi rationis habendum est, quod praeclare exprimit Justinus, de doctrina christiana dicens: hanc solam comperi esse philosophiam tutam atque utilem; habet enim in se terribilem quamdam maiestatem et ad eos permovendos idonea est, qui de recta via deflexerunt, et suavissima est iis requies qui eam exercent.